KOPPIN

DE NATURA ATQUE USU
EARUM
NEGATIONUM LINGUAE GRAECAE
QUAE ABUNDARE FERE DICUNTUR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XVIII. M. JANUARII A. MDCCCLXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

CAROLUS KOPPIN
NEOSTADIENSIS-EBERSWALDENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

THEODORUS VATKE, DR. PHIL.
OTTO MATTHIAE, STUD. PHIL.
ALWIN BLOCK, STUD. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

DR. F. G. KIESSLING.

A. CONS. SCHOL.

REVERENTIAE. SIGNUM.

SPECIMEN.

I.

§ 1. Repetuntur negationes in lingua Graeca duobus modis plane diversis, quorum alter in epanalepsi quam dicunt positus varium habet usum, sed a grammaticis nondum satis distinctum, quamvis multa de eo scite disseruerit Frankius in comment. III. „de part. negant. ling. Gr.“ Misen. 1859. Altera vero repetitae negationis ratio ea est, ut negatio, cujus vis per totam enunciationem pateat, singulis quibusdam sententiae partibus repetita adjiciatur. Vel ut aliter dicam idem, negatio initio sententiae universe pronunciata quamvis in totam sententiam omniaque ejus membra habeat dominationem, tamen ubi novi aliquid sententiae negativae adjicitur, hoc ipsum diserte iterum eoque clarius negari potest. Hujus legis cum plures sint species, potissima ea est, ut ad infinitivum aliasque quasdam verbi formas suspensas ex verbo aliquo eventum negativum indicanti, sive cum negatione conjunctum est, sive ipsum negandi vim prae se fert, velut κωλύειν, ἀρνεῖσθαι, accedat negatio abundans ut nobis videatur, sed quae principio certe vi aliqua ad expressius nervosiusque negandum non caret. Namque negatio si accedit ad infinitivum pendentem ex tali verbo, distinctius significatur eventus negativus: qui dicit κωλύω σε τοῦτο ποιεῖν, actionem infinitivo expressam etsi negat, tamen aures ipsae magis haud dubie ad hunc negativum eventum attendunt, quum audiunt κωλύω σε τοῦτο μὴ ποιεῖν. Severa cogitandi ratio μὴ particulam aspernari videtur, sed addita ea infinitivus ex ditione antecedentis verbi negativi, in qua proprie est, egreditur quasi aliquantulum, suaeque factus potestatis asciscit sibi negationem. Neque enim omnino tam arte pen-

dent enuntiata in lingua Graeca, quam in Latina aut in nostra lingua.

Ergo si dicis ἀρνοῦμαι τοῦτο εἶναι, illud εἶναι nihil aliud est quam objectum — affirmative utique pronuntiatum — in quod transit actio in ἀρνοῦμαι verbo posita; contra qui dicit ἀρνοῦμαι τοῦτο μὴ εἶναι, is non sic simpliciter objectum significat quod neget, sed finem sive eventum negativum, qui negando efficitur, id quod definitius exprimitur ὥστε particula addita. Quod apparebit conferenti Eur.[1]) Hec. 867 νόμων γραφαὶ εἴργουσι χρῆσθαι μὴ κατὰ γνώμην τρόποις cum El. 1255 εἴρξει γάρ νιν — ὥστε μὴ φαύειν σέθεν. Simile discrimen agnosces in his: Plat. legg. I. p. 635 A αὐτοὶ δ' ἕνεκα γήρως ἀφείμεθ' ὑπὸ τοῦ νομοθέτου — μηδὲν ἂν πλημμελεῖν, et rep. V. p. 472 B ἧττον ἀφεθήσει ὑφ' ἡμῶν πρὸς τὸ μὴ εἰπεῖν, neque minus in Herod. 3, 128 Δαρεῖος ἀπαγορεύει ὑμῖν μὴ δορυφορέειν Ὀροίτεα, et Plat. rep. I. p. 339 καίτοι ἔμοιγε ἀπαγορεύεις ὅπως μὴ τοῦτο ἀποκρινοίμην. — Eadem ratione eventus affirmativus distinctius notatur, si pro οὐ πείθω σε τοῦτο μὴ ποιεῖν dicis — μὴ οὐ ποιεῖν. Recte igitur Wexius ad Soph. Ant. v. 264 „Negationem igitur illam Graeci addunt, quia sententiam potius quae est negativa spectant, formam autem orationis quodammodo neglegunt;" nec minus recte „per infinitivum non simplex objectum verbi additur, sed quodam prolepsis genere effectus actionis anticipatur."

Haec quidem est vulgata doctrina atque trita; sed tamen nonnulla in ea sunt, quae cum difficiliora sint ad explicandum, locum dederunt et dubitationi et erroribus.

§ 2. Eam quam modo significavimus et cujus naturam declarabamus negationem infinitivo potissimum addi notum est.

---

[1]) In afferendis tragicorum versibus usus sum Sophoclis tragoediis a Schneidewino editis, Aeschyli trag. a Dindorfio et Euripidis trag. a Nauckio editis. Fragmentis tragic. usus sum a Nauckio recens. Si quando locus aliquis scriptore non nominato laudatur, Sophoclis est. Loci e Demosth. orat. petiti secundum Bekkeri edit. laudabuntur.

Ac primum quidem nudus, ut ita dicam, infinitivus negationem repeti penes se patitur; neque magis est mirum idem cadere in eam infinitivi formam, quae cum articulo conjuncta non objectum verbi denotat, sed quam late pateat actio verbo expressa indicat, ut igitur grammaticorum more loquar, qui pro accusativo relationis habendus est. In hac constructione cujus sit exemplum Thuc. illud 3, 1 τὸν πλεῖστον ὅμιλον εἶργον τὸ μὴ τὰ ἐγγὺς τῆς πόλεως κακουργεῖν, quum infinitivus laxiore vinculo cum verbo principali conjunctus sit, vel facilius μὴ illud addi potuisse apparet. Tum vero ne is quidem infinitivus negationem illam respuit, qui cum τὸ voce conjunctus re vera objecti partes suscipit, qualis est Soph. v. Ant. 535 ἐξομεῖ τὸ μὴ εἰδέναι. Et quod maxime mirum est, is etiam infinitivus, qui τοῦ voce addita artissima necessitudinis vincula cum verbo contraxit negativo unde pendet, nihilo secius negativam particulam recipit, quod manifestum fit ex verbis Thuc. 2, 49 ἀπορία τοῦ μὴ ἡσυχάζειν. Denique infinitivus quoque is, qui appositionis seu epexhegesis specie nominibus apponitur, negationem hanc non detrectat, cujus rei exempla attulit Madvig. Philol. a. 1847. Suppl. II. haec: Arist. Ach. 319 τί φειδόμεσθα τῶν λίθων — μὴ οὐ καταξαίνειν τὸν ἄνδρα; Soph. Tr. 226. El. 132. Dem. Ex. 273, 3. Xen. Cyr. 1, 4, 2. Quibus addere liceat Thuc. 1, 95 ἐλθὼν δὲ ἐς Λακεδαίμονα τῶν μὲν ἰδίᾳ πρός τινα ἀδικημάτων εὐθύνθη, τὰ δὲ μέγιστα ἀπολύεται μὴ ἀδικεῖν. 2, 53 ῥᾷον γὰρ ἐτόλμα τις ἃ πρότερον ἀπεκρύπτετο μὴ καθ' ἡδονὴν ποιεῖν. Plat. rep. IV p. 424 B. ὅπως — παρὰ πάντα αὐτὸ φυλάττωσι, τὸ μὴ νεωτερίζειν περὶ γυμναστικήν. cf. soph. p. 235 B.

Atque ne hoc quidem desideretur, initio statim disputationis significatum volo, non prorsus necessarium esse, ex verbo negativo pendere infinitivum ceterasque verbi formas, ad quas adjicere negationem licitum sit: possunt enim sequi substantivum cujus sensus negativus est, quod docent loci hi: Plat. Euthyd. p. 272 B. παραμύθιον τοῦ μὴ φοβεῖσθαι. polit. p. 279 C. ἀμυντήρια τοῦ μὴ πάσχειν. Dem. 24, 9 ἐνού-

σης δὲ οὐδεμιᾶς ἔτ' ἀποστροφῆς τοῦ μὴ τὰ χρήματα ἔχειν ὑμᾶς. 24, 69. 20, 35. 29, 163. Herod. 1, 68. ὑπὸ ἀπιστίης μὴ μὲν γενέσθαι — μέζονας ἀνθρώπους. 1, 209 οὐκ ἔστιν μηχανή· Arist. Nub. 184 τίνα γνώμην ἕξει; Thuc. 3, 75 τῇ τοῦ μὴ ξυμπλεῖν ἀπιστίᾳ· 2, 49 ἡ ἀπορία τοῦ μὴ ἡσυχάζειν. Zosim. 1, 12 δέει τοῦ μὴ παθεῖν τι — εἰς στάσεις ἐχώρουν. Neque non potest pendere infinitivus ex adjectivo, ut apud Arist. Plut. 241 ἔξαρνός ἐστι μηδ' ἰδεῖν με πώποτε, qui ἔξαρνος verbi usus satis frequens est; huc refero Soph. O. R. 1089 οὐ τὸν Ὄλυμπον ἄπειρος — μὴ οὐ σέ — αὔξειν. Thuc. 2, 17 ὃ καὶ ἐπάρατόν τε ἦν μὴ οἰκεῖν. 7, 29 (ἐπιπεσὼν) ἀπροσδοκήτοις μὴ ἄν ποτέ τινας σφίσιν — ἐπιθέσθαι· 1, 141 οὐ βέβαιον (ἔχοντες) μὴ οὐ προαναλώσειν. Huc porro ascisco mihi Soph. O. C. v. 359 ἥκεις γὰρ οὐ κενή γε — μὴ οὐχὶ δεῖμ' ἐμοὶ φέρουσά τι, et O. R. 57 ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔσω, de quibus locis infra videbimus. Adverbium habes in Arist. Thesm. 11 (χωρίς ἐστιν ἡ φύσις) τοῦ μήτ' ἀκούειν, μήθ' ὁρᾶν.

§ 3. Hae cum sint variae infinitivi formae, accuratius jam considerandum erit, qualia sint verba ista, quae negationem supervacaneam infinitivo pendenti addi patiantur; tum vero quales sint ipsius negationis species, quae ex hac loquendi consuetudine exsistant, quaerendum erit.

Ac primum quidem Hermannus ceteris grammaticis accuratior in adn. ad Vig. p. 796 a verbis „eventum negativum indicantibus“ toto genere disjunxit οὔ φημι, ἀδύνατός εἰμι, οὐχ οἷός τ' εἰμί. Poterat etiam multa alia proscribere velut αἰσχύνομαι, ἀνόητόν ἐστι, οὐ πείθω, οὐ ποιῶ al., post quae abundat μή, si ipse infinitivus pendens ex tali verbo negatur, sed particulam addi non fas est, si infinitivi pendentis affirmativa est sententia. Quamnam huic rei causam subesse putabimus? Hermannus certe, licet senserit verum, tamen ipsam rationem parum explicasse mihi videtur, cujus haec sunt verba: „Ab his vero bene discernenda sunt ea verba, quae eventum affirmativum negant, cujusmodi sunt οὔ φημι,

ἀδύνατός εἰμι, οὐχ οἷός τ' εἰμί, in quibus ob id ipsum, quod non indicant negativum eventum, non habet locum μή illud, quod abundare videatur, ut in illo δέδοικε μηδὲν ἐξαμαρτάνειν, sed ubi affirmativus ille eventus, qui tollitur negatione, quae in verbo inest, negationem aliquam continet, non nisi μή, si certa est negatio, μὴ οὐ si cum dubitatione conjuncta, usurpantur." Haec regula ut rei difficultati satisfaciat vereor. Quidnam intellegit Hermannus „eventum negativum"? num vero quod nos dicimus „das negative Resultat"? Hoc quidem vix credi potest; nam hinc praeceptum prorsus falsum efficeretur. Quid? negando eventum affirmativum nonne exsistit eventus negativus? si quis dicit οὐχ οἷός τ' εἰμὶ τοῦτο ποιεῖν, re vera non facit. An vero Hermannus voluit *finem* negativum indicari verbo necesse esse? Ne hoc quidem plane verum, nam multa sunt verba, quibus finis negativus significari vix possit perhiberi, et quae nihilo secius negationem infinitivo addi patiuntur, velut καταρνεῖσθαι (Ant. 442, Arist. Equ. 572) ἐξομνύναι (Ant. 535); eandemque in sententiam saepissime οὐ redundans subjicitur post verba ἀντιλέγειν, ἀρνεῖσθαι al., si enunciatum per ὅτι, vel ὡς particulas ex verbo primario pendet. Significavit haud dubie Herm. *effectionem negativam* sic in universum; atque sane quidem ego effectionem aliquam conspicuam esse etiam in verbis negandi infitias non iverim. Quin etiam in verbo ἀπιστεῖν, quod infinitivo pendenti negationem addi patitur velut apud Thuc. 2, 101; 6, 49; 8, 1; 3, 32 Plat. Phaed. p. 85 C. effectionem quandam sensisse Graecos libenter concedo. Sed tamen quaeritur, qua tandem causa noluerint Graeci dicere οὐχ οἷός τ' εἰμὶ μὴ ποιεῖν, hoc ut sit „non possum facere", quum tamen dicere non dubitarent et ἀρνοῦμαι μὴ ποιῆσαι et οὐχ οἷός τ' εἰμὶ μὴ οὐ ποιεῖν significaturi „non possum non facere". An vero alia est μὴ negationis abundantis natura, si infinitivus qui pendet ex verbo negativo affirmativus, alia si negativus est? Sed tamen nulla est res μὴ negationis supervacaneae cum infinitivi pendentis sententia, sive affirmativus, sive negativus

est; ipsa res in utraque sententia eadem esse videatur. — Atque ut magis etiam implicem totam quaestionem, excludendum est una cum Hermanni verbis etiam αἰσχύνομαι et similia multa, de quibus quid sentiret non explicavit v. d. Hermanni rationem si sequemur, αἰσχύνομαι verbo negari actionem affirmativam confiteamur necesse erit, quamvis ipse Herm. δεδοικέναι, εὐλαβεῖσθαι verbis eventum negativum indicari affirmaret. His attexamus locum Thuc. 3, 32 οὐδὲ τὴν ἐλαχίστην ἐλπίδα εἶχον μήποτε — ναῦς Πελοποννησίων εἰς Ἰωνίαν παραβαλεῖν, atque Dem. 18, 55 τῶν νόμων οὐκ ἐώντων — μὴ ἀναγορεύειν τὸν στέφανον. In his certe videri possit negari eventus affirmativus. Vides jam, ut puto, Hermanni regula rem non confici neque certam aliquam tironibus normam tradi.

Atque ut mihi quidem videtur, ex iis quae supra (§ 1.) de repetitae negationis natura atque vi disputavimus, eventum negativum, quem nunc omnes fere grammatici in ore habent, distinctius indicari dicentes, non potest probabilis aliqua ratio erui, qua nitatur haec differentia obvia in usu sermonis Graeci, qui abhorret ab οὐ πείθω σε μὴ ποιεῖν („non persuadeo tibi ut facias"), non abhorret ab οὐ πείθω σε μὴ οὐ ποιεῖν („non persuadeo tibi, ut non facias"). Aut igitur arbitrio quodam ac libidine sermonis atque usus „quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi" hoc factum esse putabimus, aut ea, quam supra exponebamus rationem negationum penes infinitivos repetitarum „significari disertius eventum actionis verbo expressae", non in universum valere credenda erit. Atque hanc sane sententiam amplector. Nam quaecunque supra disputavimus, ea ita disputavimus, ut Graecae linguae usui qualis nunc nobis ante oculos propositus est, quam maxime fieri posset, generalem aliquam normam adhiberemus quae universo repetitae negationis usui consentanea esset, et quia parum aptum esse arbitrabamur, quaestionem de μὴ particula abundanti post verbum negativum disjungere ab ea quae est de μὴ οὐ particulis post verba

negativa unius negationis locum obtinentibus. Sed alia quam quae nunc negationum post verbum negativum infinitivis additarum lex esse videatur, potest fuisse primaria origo atque ratio, qua sensim evanescente secundum analogiae legem harum particularum usus pedetentim latius propagatus ratioque ipsa immutata est.

Tria si quid video verborum sunt genera, quae negationem repetitam infinitivis addi patiuntnr:

1. Verba quae effectionem sive actionem negativam declarant:

a. prohibenbi ac *vetandi*: κωλύειν, εἴργειν, ἐπέχειν, ἀντέχειν, ἔχειν (Herod. 1, 158), ἐρύκειν, ἐμποδὼν εἶναι, — γίγνεσθαι, ἐμποδίζεσθαι, ἀρκεῖν, ῥύεσθαι; ἀφαιρεῖσθαι (Eur. Tro. 1146) ἀποστερίσκειν (Thuc. 7, 16), ἀποτρέπεσθαι (Thuc. 7, 16), ἐναντιοῦσθαι (Plat. symp. p. 32 B); παύειν (Thuc. 7, 53; Ar. Ach. 634), ἀπολύειν (Thuc. 1, 95; 1, 128; Her. 2, 174), ἀφιέναι (Plat. rep. V. p. 451 B, Phil. p. 50 D, legg. I. p. 635 A). — ἀπαγορεύειν, ἀπαυδᾶν, ἀπειπεῖν, ἀπεννέπειν, ἀπεύχεσθαι, ἀπογιγνώσκειν, ἀποχειροτονεῖν (Dem. 24, 12).

b. evitandi: φυλάττεσθαι, εὐλαβεῖσθαι, φοβεῖσθαι, δεδοικέναι, φεύγειν, ἐκφεύγειν; ἀπέχεσθαι, ἀποτρέπεσθαι, μέλλειν, λήγειν, ὑποφείδεσθαι (Lucian. de mort. peregr. 6).

c. negandi: ἀρνεῖσθαι, καταρνεῖσθαι, ἔξαρνον, ἄπαρνον εἶναι, ἀντιλέγειν, ἀντιλογεῖν, ἀμφισβητεῖν, ἐξελέγχειν, ἐξομνύναι; ἐναντιοῦσθαι, ἀποκρύπτεσθαι (Thuc. 2, 53).

d. diffidendi: ἀπιστεῖν (Thuc. 2, 101; 6, 49; 8, 1; 3, 32; Plat. Menon. p. 89 D, Herod. 1, 68), ἀπροσδόκητος (Thuc. 7. 29), quibus adjungi possuut μεταγιγνώσκειν (Thuc. 1, 44), μεταβουλεύεσθαι (Her. 7, 12), μεταδοκεῖ μοι, ἀποδοκεῖ μοι.

2. Verba quorum effectio affirmativa tollitur οὐ negatione praeposita:

οὐ πείθω (Arist. Ran. 68, Soph. O. R. 1044), οὐ ποιῶ (Plat. Phaedr. p. 240 D, Soph. Ant. 935), οὐ συγχωρῶ (Pl. Phaedr. p. 88 A), οὐκ ἀνέχομαι Aesch. Eum. 914), οὐ φέρω (Lucian. dial. mer. 3), οὐ μέμφομαι (Xen. Cyr. 7, 5, 42), οὐκ αἰτιῶμαι

(Pl. Lach. p. 189 C), οὐ βέβαιον ἔχω (Thuc. 1, 141), οὐ πιστεύω (Thuc. 8, 71), οὐ θαρσῶ (Soph. Ant. 935), οὐκ ἔχω ἐλπίδα (Herod. 6, 11), οὐ λείπεται λόγος (Dem. 24, 69).

3. Verba quae qualitatem sive habitum negativum denotant:

ἀδύνατόν ἐστι, οὐκ ἐγχωρεῖ, οὐκ ἔστι, οὐδεμία μηχανή ἐστι, ἀμήχανόν ἐστι, οὐ δύναμαι, οὐχ ἱκανός εἰμι, οὐχ οἷός τ' εἰμί; οὐ δίκαιόν ἐστι, οὐκ εἰκός ἐστι, οὐχ ὅσιόν ἐστι (Plat. rep. IV. p. 427 E), οὐ προσήκει; αἰσχύνομαι, αἰσχρόν ἐστι, αἰσχύνη ἐστί; ἄλογόν ἐστι, πολλὴ ἄνοιά ἐστι, δεινόν ἐστι (Her. 1, 187), ἀνόητόν ἐστι.

Jam igitur infinitivo cujus sententia est affirmativa, addi potest μή negatio abundans, si pendet infinitivus ex iis verbis, quae primo loco attulimus; sed non additur post verba ordinis II. et III. nisi si ipse infinitivus negativus est, velut in Soph. O. R. v. 1065 οὐκ ἂν πιθοίμην μὴ οὐ τάδ' ἐκμαθεῖν σαφῶς, Thuc. 8, 60 ἀδύνατα ἦν — μὴ οὐ μεγάλα βλάπτειν, Xen. anab. 2, 3, 11 ὥστε πᾶσιν αἰσχύνην εἶναι μὴ οὐ συσπουδάζειν, ut non simplex μή, sed duplex μὴ οὐ negatio infinitivo adjuncta sit. Talis est usus loquendi. Cujus si causam rationemque quaerimus, hanc commodum atque proclive possit videri inde repetere, quod Graeci, cum dicerent ἀρνοῦμαι μὴ πεπτωκέναι „nego me cecidisse“, vel κωλύω σε μὴ ποιεῖν τοῦτο „prohibeo te hoc facere“, haec principio non dixerint pro ἀρνοῦμαι πεπτωκέναι, κωλύω σε ποιεῖν τοῦτο, sed pro his: λέγω μὴ πεπτωκέναι, ποιῶ σε μὴ ποιεῖν τοῦτο; ut vero pro λέγω, ποιῶ verbis affirmativis negativa ἀρνοῦμαι, κωλύω ponerent, huc studio eos adductos esse negativae actionis quae in infinitivo conspiciatur significandae etiam in verbo primario. Etenim quando efficitur, seu re ac facto, seu verbo atque cogitatione, negativum aliquid, in promptu fuisse credideris, ipsam illam effectionem ut negativam describi; hoc esset aliud prolepsis genus, quam quod supra a grammaticis commendatum agnovimus. Atque haec sane ratio non quadraret nisi in primi ordinis verba, abhorreret

ab iis quae sunt secundi et tertii; etenim pro ποιῶ σε τοῦτο μὴ ποιεῖν licere dicere κωλύω (i. e. impediendo efficio) σε τ. μὴ ποιεῖν credere possit quispiam, sed non posse dici in eandem sententiam οὐ ποιῶ σε τ. μὴ ποιεῖν, in quo efficiendi notio omnino tollitur, unicuique patet. Neque tamen huic artificio ipse fidem nimiam habuerim, etiamsi contendenti alicui hanc esse revera naturam verborum quorundam a praepositionibus ἀπό, μετά, ἀντί, ἐξ compositorum non contradixerim; sane quidem μεταγιγνώσκειν, μεταβουλεύεσθαι, μεταδοκεῖ μοι aliorumque verborum utrum sit affirmativa an negativa sententia ambigere possit quispiam, atque si cui credere libet in his effectionem esse affirmativam, praepositione vero ista nihil praeterquam effectionis illius quasi directionem per prolepsim quandam significari, non audeam hunc refutare. Sed tamen verborum κωλύειν, εἴργειν, δεδιέναι, ἀρνεῖσθαι aliorum sexcentorum hanc esse naturam non adducor ut credam. Imo vero ejus de qua agimus rei causa in eo posita esse mihi videtur, quod in iis verbis, quae in primam classem descripsimus, latet notio aliqua, qua ne quid fiat cavetur, sive qua quis nolle aliquid dicitur; principio igitur μὴ negatione abundanti significabatur non tam effectus sive eventus, qui exsistit ex actione prohibendi, vetandi, negandi cett., sed effectus quem quis fieri non vult. Quodsi verum est Bäumlini praeceptum propositum in libro de particc. p. 281: duplicem μὴ negationis esse vim, primariam esse prohibendi, quae negatio ex voluntate subjecti proficiscatur, alteram negationem eam esse, quae una cogitatione subjecti fiat[2]), — hujus μὴ abundantis

---

[2]) Haec ejus sunt verba: „Μὴ ist seiner Grundbedeutung nach prohibitiv; es drückt ursprünglich aus, dass etwas nicht geschehen soll. Somit steht es vor Allem im Verbot, ferner bei negativen Aufforderungen und den mit diesen verwandten Fragen, beim negativen Wunsch, im Absichtssatz und bei dem von Verben der Willensthätigkeit abhängigen Infinitiv; es wird aber überhaupt da gebraucht, wo etwas vom Subject aus, nach seinem Belieben, nach seiner freien Fiction negirt wird. Indem die Negation μὴ aus dem Gebiete des Willens in das der subjectiven, willkührlichen Vorstellung übergieng, ward sie in allen

natura ea est, ut ex voluntate sit ejus qui negat. Haec est effectio quam diximus; nam si quis dicit εἴργω σε μὴ ποιεῖν τοῦτο, eo voluntas ejus tendit, ne alter quid faciat, efficere igitur studet prohibendo, ne illud fiat. Atque haec quidem omnium quae (sub 1.) praescripsimus verborum est natura, ut quamvis sint negativa, conspiciatur tamen in iis effectio affirmativa: in verbis quae prohibendi et vetandi esse diximus, notio continetur efficiendi et voluntatis, in iis quae evitare quem quid declarant, notio inest appetendi. Neque alia est ratio verborum negandi (ἀρνεῖσθαι cett.) et ἀπιστεῖν; nam etiamsi primo adspectu aliter possit videri, atque nos quidem effectionem aliquam removendique vim in his vix sentiamus, a Graecis tamen haud dubie ita mente concipiebantur, ut contranitendi quaedam notio in iis sentiretur. Unde causa manifesta elucet, qua etiam post negandi diffidendique verba μὴ abundans adjiciatur, non οὐ (de exceptionibus postea dicendum erit), quamquam infinitivi ex ajendi credendique verbis suspensi saepius cum οὐ, quam cum μὴ negatione conjungebantur. V. Bäuml. l. l. p. 262—267. — Quod idem non cadit in ea verba, quae loco II. et III. attulimus: non potest dici οὐ ποιῶ σε τοῦτο μὴ ποιεῖν, quia in his effectionis, quae voluntatem designet, significatio nulla jam remanet, sed οὐ negatione actio quae inest in ποιῶ verbo simpliciter tollitur, ut sententia prorsus vertatur in contrarium; sed potuit dici κωλύω σε μὴ ποιεῖν, neque enim in κωλύειν verbo effectionis notio simpliciter sublata est, sed cernitur etiam in hoc ipso verbo ποιεῖν aliquod. Nec non nostrates similiter possunt loqui, siquidem neglegentius talia jaciunt: ich rathe dir ab, es nicht zu thun; er hat es abgeschworen, ihr das Geld nicht gegeben zu haben; ich verbot ihm, das Zimmer

Bedingungssätzen, sowie in denjenigen Sätzen gebraucht, welche, ohne eigentliche Bedingungssätze zu sein, doch ein hypothetisches Verhältniss in sich schliessen, so wie in solchen Sätzen, die zur innern wesentlichen Bestimmung eines abstracten Begriffs, einer Gattung dienen.“ Haud mala haec distinctio et ad usum satis commoda, etsi verum est, duplicem hanc particulae vim nihil aliud esse nisi duas unius ejusdemque indolis ut ita dicam manifestationes.

nicht zu verlassen, alia ejusmodi. — Ἀπιστεῖν igitur in tali enuntiato quale est Thuc. 1, 101 ἀπιστοῦντες αὐτὸν μὴ ἥξειν h. e. „non credentes eum venturum esse", vel 6, 49 διὰ τὸ ἀπιστεῖν σφᾶς μὴ ἥξειν, non significat idem simpliciter quod οὐ πιστεύειν, οὐκ οἴεσθαι, sed est potius fere idem quod „diffidere" vel „diffidendo credere" („die ungläubige Meinung haben"), non dissimile ἄλλως οἴεσθαι verbo in Plat. Alcib. I, p. 130 A Καὶ μὴν τόδε γε οἶμαι οὐδένα ἂν ἄλλως οἰηθῆναι. Τὸ ποῖον; Μὴ οὐ τριῶν ἕν γέ τι εἶναι τὸν ἄνθρωπον. — Hanc vero rationem iis verbis quae loco altero et tertio praescripsimus adhiberi non posse demonstravimus jam, atque hinc causam repetendam esse opinor, qua haec negationem abundantem respuant. Cui legi non adversatur, quod apud Demosth. 18, 55 τῶν νόμων οὐκ ἐώντων — μὴ ἀναγορεύειν τὸν στέφανον illud μὴ abundat post οὐκ ἐᾶν verbum; nam οὐκ ἐᾶν hoc quidem in loco idem valet, quod ἀπαγορεύειν, neque igitur οὐ negatione illud ἐᾶν simpliciter tollitur, sed remanet effectionis notio. Simile judicium ferendum erit de loco Thuc. 3, 32 οὐδὲ τὴν ἐλαχίστην ἐλπίδα εἶχον, μή ποτε — ναῦς Πελοποννησίων ἐς Ἰωνίαν παραβαλεῖν, quo in loco οὐκ ἔχω ἐλπίδα (i. e. Ahnung, Vermuthung) idem paene valet quod ἀπιστῶ eadem prorsus ratione qua Thuc. 1, 77 οὐκ οἴεσθαι idem fere sonat quod ἀπιστῶ. Krüger. vero quo jure hoc loco (3, 32) μὴ locum tenere contendat μὴ οὐ particularum (in indice Thuc. sub v. μή) mihi certe non patet; imo vero hic ne potuisse quidum dici μὴ οὐ censeo. Difficilior est locus Plat. in Phaed. p. 85 C τὸ μέντοι αὖ τὰ λεγόμενα περὶ αὐτῶν μὴ οὐχὶ παντὶ τρόπῳ ἐλέγχειν καὶ μὴ προαφίστασθαι — πάνυ μαλθακοῦ εἶναι ἀνδρός (i. e. effeminati hominis esse desistere a disquisitione), in quo quamvis μαλθακοῦ ἐστιν ἀνδρὸς ad tertium quod statui verborum genus pertineat ut αἰσχρόν ἐστιν al., tamen μὴ particula infinitivo abundanter quod dicunt addita est. Hoc sane insolens est, sed sumpsisse sibi hanc licentiam Platonem credo, ne quis μὴ οὐ particulas etiam ad προαφ. verbum pertinere crederet.

Aliter hoc de loco statuisse video Lieberkühnium in progr. Wismar. a. 1853 p. 16, qui ἐλέγχειν καὶ μὴ προαφίστασθαι unam artissime junctam notionem efficere dicit, ut μὴ οὐχὶ eodem jure ad ἐλέγχειν atque ad μὴ προαφίστασθαι referenda sint. Fortasse hoc verum, ni trium negationum conjunctio μὴ οὐχὶ μὴ ποαφίστασθαι molesta videatur. —

Neque tamen constiterunt sibi Graeci in ea quam modo explanabamus ratione. Nam quamvis ad normam ejus revocare possis etiam illud εἴργω σε μὴ οὐ ποιεῖν „prohibeo te non facere (impediendo efficio, ut non praetermittas)“ — tamen non secundum eandem legem qua dicerent εἴργω σε μὴ ποιεῖν „prohibeo te facere“ dixisse Graeci putandi sunt οὐκ εἴργω σε μὴ οὐ ποιεῖν „non prohibeo te facere“. Sed in hac oratione re vera indicatur eventus sive effectus qui exsistit vel exsistere potest ex illo οὐκ εἴργω, non jam eventus quem exsistere volumus; addiderunt igitur Graeci infinitivo μὴ οὐ particulas, quia effectus qui ex notione οὐκ εἴργω consequitur, contrarius est ei qui ex εἴργω quasi profluit: hic est negativus (μὴ ποιεῖν), ille est affirmativus, ut negatione irrita facta μὴ οὐ ποιεῖν dicerent. Namque quandoquidem Graeci dicere consueverant εἴργω σε μὴ ποιεῖν „prohibeo te hoc facere“, civitasque huic formulae data erat, nihil erat proclivius quam in contrariam sententiam dici οὐκ εἴργω σε μὴ οὐ ποιεῖν, qua orationis conformatione primaria repetitae negationis ratio sane quidem conversa atque immutata est, admixta nimirum priori rationi *effectionis* negativae indicandae ea quam originem ducere modo dicebamus ex studio *eventus* negativi indicandi in infinitivo. Atque haec quidem ratio quum insinuasset se et primariam rationem paullatim submovisset, nihil sane obstabat, quin eadem οὐ ποιῶ, οὐ πείθω, οὐχ οἷός τ' εἰμί, αἰσχύνομαι similibusque verbis adhiberetur hisque adjungerent μὴ οὐ negationes, si infinitivus ipse negativam prae se ferret sententiam, nimirum ut eventus affirmativus significaretur. In εἴργω σε μὴ ποιεῖν formula prolepsis quodam genere *effectio* negativa significa-

tur, in altera οὐ πείθω σε μὴ οὐ ποιεῖν indicatur *effetus* negativus prolepsi simili; principio repetitae negationis in infinitivo ea erat vis, ut *quo* negaretur declararet, transferebatur idem usus eo, ut *quid* negaretur denotarent. Sed tamen hic usus iis coërcebatur finibus, inter quos procreatus fuerat, et a quo non abhorrebant Graeci in μὴ οὐ particulis, eundem usum transferre non ausi sunt in simplicem μὴ particulam, nimirum quia primaria μὴ repetitae ratio alia erat, et μὴ οὐ particulae facilius in formulam abire poterant, cujus ratio et origo propria in oblivionem incurreret, quod idem saepius in negationum usu factum esse et constat et postea videbimus.

§. 4. Verba ista quae in p. 7 primo loco attulimus abundantem μὴ negationem infinitivo addi patiuntur; si ipsa cum negatione conjuncta sint, μὴ οὐ particulas abundare posse infra videbimus. Quodsi in eorum numero nonnulla sunt, quae negata si sunt sequuntur μὴ οὐ negationes, sed quae cum abest negatio cum simplici μὴ conjuncta non exstant: hoc aut fortuitum est, aut inde factum, quod verba quaedam quae huc faciunt non sua ipsorum vi ac natura, sed ita magis, ut ad alius verbi similitudinem usurparentur hujusque significationem metaphorice prae se ferrent, infinitivum cum μὴ οὐ part. admittebant, cujus rei luculenta habes exempla in Arist. Av. 36 οὐ μισοῦντ' ἐκείνην τὴν πόλιν τὸ μὴ οὐ μεγάλην εἶναι (= εἴργω). Lucian. Prom. 3 (I, 28) οὐδ' ἂν ὠφελήσειεν αὐτὸ — ἡ καινότης μὴ οὐχὶ συντετρίφθαι ἄμορφον ὄν (= ῥύεσθαι). Sed tamen ad hanc quam enodare studebam rationem cum non satis inquisitum sit in usum dicendi, de quibusdam verbis dubitatio potest oriri, utrum classi primae an tertiae sint adnumeranda; atque quamvis periculosum sit ex una verborum significatione judicium facere ex eoque qui nobis est in talibus rebus sensus, tamen aegre crediderim infinitivis ex verbis ἐνδέω, δέομαι pendentibus addi potuisse abundantem illam μὴ particulam, ut in quibus effectionem negativam sensam fuisse difficile sit ad credendum;

neque vero post πολλοῦ, ὀλίγου δέω, quae phrases saepissime occurrunt, μὴ illud supervacuum invenire me unquam meminі. Sed quod apud Eur. in Tro. 792 legitur τί ἐνδέομεν μὴ οὐ πανσυδίᾳ χωρεῖν ὀλέθρου διὰ παντός; et in Iph. Aul. 42 καὶ τῶν ἀπόρων οὐδενὸς ἐνδεῖς μὴ οὐ μαίνεσθαι, et apud Xen. in hell. 4, 1, 36 καίτοι εἰ ἅμα ἐλευθερός τ' εἴης καὶ πλούσιος γένοιο, τίνος ἂν δέοιο μὴ οὐχὶ πάμπαν εὐδαίμων εἶναι; haec omnia eandem secundum legem dicta esse arbitror, qua a Graeco sermone non alienum futurum fuisse suspicor dicere οὐκ αἰσχρόν ἐστι μὴ οὐ ποιεῖν „non turpe est facere". Quod si doctiores negent, haec verba in primam classem referenda erunt. Similiter de versu Soph. in O. R. 1232 sentio λείπει μὲν οὐδ' ἃ πρόσθεν ᾔδεμεν τὸ μὴ οὐ βαρύστον' εἶναι. — At verba ἐλλείπω (Tr. 90 οὐδὲν ἐλλείψω τὸ μὴ οὐ πᾶσαν πυθέσθαι τῶνδ' ἀληθείαν πέρι.), προλείπω (El. 132 οὐδ' ἐθέλω προλιπεῖν τόδε, μὴ οὐ τὸν ἐμὸν στεναχεῖν πατέρ' ἄθλιον.), παρίημι (O. R. 284 μὴ παρῇς τὸ μὴ οὐ φράσαι) merito primo verborum generi adscribi posse arbitror, neque enim dissimilia videntur esse παύειν verbo. Hoc vero etiam certius est, falso Wentzelium in program. Glogovensi a. 1843 p. 21 οὐκ ἀρκεῖν, οὐκ ἐπαρκεῖν, οὐ ῥύομαι, οὐκ ἐπιλύομαι verba composuisse cum οὐ πείθω, οὐ ποιῶ ceterisque hujus generis, agnoscens in ὡς οὐκ ἀρκέσοι τὸ μὴ οὐ θανεῖν eandem orationis conformationem atque in οὐ πείθω σε μὴ οὐ ποιεῖν. Sed tamen ista verba ἀρκεῖν cett. suapte natura sunt negativa et addita οὐ particula sententia primaria evadit dupliciter negata, ut in infinitivo non μὴ abundet, sed μὴ οὐ velut in hoc οὐκ ἀρνοῦμαι μὴ οὐ πεπτωκέναι. Hoc ita esse est comprobare potest locus Eur. Herc. f. 197 τὸ σῶμα ῥύεται μὴ θανεῖν, et docet res ipsa, nam ἀρκεῖν vocis significatio simillima est εἴργειν verbi (Herod. 8, 57), ἐπιλύομαι paene idem valet quod ἀποτρέπειν (Lucian. deor. dial. V, 5), similiterque apud Thucyd. ἀπολύομαι saepius habet μὴ adjunctum infinitivo. — Eadem est ratio loci Herod. 8, 100 οὐ γάρ ἐστι Ἕλλησι οὐδεμίη ἔκδυσις μὴ οὐ δόντας λόγον τῶν ἐποίησαν νῦν τε

καὶ πρότερον εἶναι σοὺς δούλους, in quo item duplex negatio μὴ οὐ abundat; simile igitur hoc est non αἰσχρόν ἐστι, οὐ προσήκει similibusve formulis, quae Wentzel. est sententia l. l. p. 26, sed eodem modo hoc dictum est atque οὐ φεύγω (Plat. Phaedr. p. 277 E). Idem est error Matthiaei in gram. § 609 (p. 1229 ed. II), saepiusque ita peccarunt grammatici, ut quum primariam alicujus vocis significationem non recte perspexissent, falso cuidam repetitae negationis generi locutionem adscriberent. — Non minus fortasse quam ista verba ἐκπλήττω (Xen. Cyr. 5, 2, 17), σημαίνω (Arist. Lys. 1200) primae classi tribuenda erunt; sed de iis maxime verbis, quae non proprie huc pertinent, sed singulari quodam sententiae conexu ad aliorum verborum similitudinem struuntur, sententiam ferre admodum est difficile.

§ 5. Sequuntur jam variae ipsarum negationum species, quae hinc efficiuntur; qua in re ne discerpam materiam de μὴ et μὴ οὐ particulis seorsim disputando, tria ista verborum genera, quae p. 7 et 8 esse statui, alterum ab altero non secernam.

1. Ac primum quidem penes verba effectionem negativam indicantia, si haec quam dicimus effectio declaratur infinitivo verbo alicujus, μὴ negationem huic addi posse constat, ideo videlicet quod actio expressa infinitivo, ut qui in dominatione quasi sit ejus negationis quae in verbo principali inest, hoc verbo principali re vera ipsa quoque tollitur. Negatione igitur infinitivo addita et effectio haec fortius negatur, et negatio antecedens quae in verbo continetur de vi sua, quantum ad infinitivum pertinet, aliquid remittit. Sic Soph. O. C. 667 τοὐμὸν φυλάξει σ' ὄνομα μὴ πάσχειν κακῶς, eandemque in sententiam dicere possis εἴργω σε μὴ ποιεῖν τοῦτο „prohibeo te hoc facere“. Sed quoniam hac μὴ particula nihil praeterquam repetitur negatio universe jam expressa in initio sententiae, omitti etiam posse μὴ apparet, quamquam hic sermo insolentior est. V. Herm. ad Vig. not. 271. Mirus vero est

Buttmannus in Exc. XI. ad Dem. Mid. p. 143 quum dicit: „Itaque pro eo quod ratione simplicissima est εἴργω σε δρᾶν lingua admittebat εἴργω σὲ τὸ δρᾶν, et εἴργω σὲ τὸ μὴ δρᾶν, et εἴργω σε τὸ μὴ οὐ δρᾶν.“ Hoc congruit quidem cum iis quae v. d. p. 145 commentus est, μὴ οὐ voculas propria sua vi unius negationis vim prae se ferre contendens, quia οὐ primitus affirmativa particula fuerit. Quod si ita esset, multae in negationum usu difficultates promptam haberent explicationem; sed fallitur v. d. vel in eo quod εἴργω σε τὸ μὴ οὐ δρᾶν in eandem dici posse sententiam opinatur atque εἴργω σε τὸ δρᾶν.

2. Jam vero sponte perspicitur, si ipse infinitivus ex iis verbis quae supra diximus pendens per se negetur, alteram etiam negationem οὐ ei addendam esse vel potius addi posse, ut sit αἰσχύνομαι μὴ οὐ ποιεῖν τοῦτο „pudet me hoc non fecisse“, οὐ πείθω σε τοῦτο μὴ οὐ ποιεῖν „non persuadeo tibi ut hoc non facias“, εἴργω σε τοῦτο μὴ οὐ ποιεῖν „prohibeo te hoc non facere“. In quo hoc tenendum esse arbitror, negationem eam quae in verbo principali insit, non οὐ voce repeti, sed μή; οὐ vero particulam arte cum infinitivo conjunctam propriam infinitivi esse negationem. Etenim si εἴργω σε τοῦτο μὴ ποιεῖν valet „prohibeo te facere“, contrarium hujus sententiae „prohibeo te non facere“ ita dicendum est, ut pro ποιεῖν notione jam contraria ejus ponatur οὐ ποιεῖν[3]). Nam quod in eandem sententiam εἴργω σε τοῦτο μὴ ποιεῖν dici potest, inde non consequitur, οὐ particulam eam esse negationem quae abundare vulgo dicatur; imo vero pro μὴ ποιεῖν in pleniore oratione οὐ ποιεῖν dicitur, quia μὴ μὴ

---

[3]) Haec res cum alios multos tum Madvigium fefellit, qui in Philol. Suppl. II a. 1847 assueta ingenii acie in hac quaestione versatus est. Haec enim ejus sunt verba p. 52: „Das Hinzufügen des οὐ (in οὐ πείθω μὴ οὐ, οὐχ οἷός τ' εἰμὶ μὴ οὐ καταγέλαστος εἶναι) ist also nur eine Wiederholung desselben ungenauen Uebertragens der (affirmativen od. negativen) Beschaffenheit des Praedikats auf den Gegenstand des Praedikats“. Cfr. Buttm. gr. § 148, not. 6, 2. Curtius p. 278 § 620: „οὐ ist hier nur die Wiederholung der im regierenden Satze enthaltenen Negation“.

ποιεῖν dicere non licet secundum legem quae latius in Graeca lingua patet, sed quam hic persequi non licet. Hoc tamen admonitum velim, ejus orationis exempla, qua αἰσχύνομαι τοῦτο μὴ ποιεῖν valeat „pudet me hoc non facere", ut nulla abundet negatio, rariora esse et in nudo infinitivo, et in infinitivis cum τὸ et τοῦ articulo conjunctis, qua de re disputavit Madvig. in Philol. a. 1847 Suppl. II p. 54. Tum vero ad id attendere debemus, totum hoc dicendi genus, quo verbo negativo infinitivus adjungatur, cujus sententia ipsa negata sit per se, plerumque in iis tantum verbis inveniri quae negant eventum affirmativum (οὐ πείθω, οὐ ποιῶ cett.) aut qualitatem negativam describunt (αἰσχύνομαι cett.), non in verbis prohibendi, vetandi, negandi, diffidendi. Nam ut hujus rei rationem significem saltem, pro „ich verhindere, dass dies nicht geschieht (i. e. unterbleibt)" simplicius dicere licet „ich bewirke, dass dies geschieht"; contra si dicere velis „ich kann nicht bewirken, dass dies nicht geschieht", expeditior orationis forma non praesto est. Sed tamen potuisse talia dici, discere licet ex loco Philostrati V. Apoll. VI. c. 16 σοφίας θ' ὅστις ἑτέρῳ γίγνεται ξύμβουλος, ἣν αὐτὸς ᾕρηται, διαφεύγει δήπου τὸ μὴ οὐχ ἃ πέπεισται πείθειν „et qui sapientiae suasor alteri exstitit, quam ipse professus est, hanc certe criminationem effugit, quod non persuadeat ea quae ipse persuasa habet (sc. sed alia)." Verbum δέω cui in prima verborum classe (v. p. 14) habere placet, ei hic jam afferendum erit Plat. Euthyd. p. 297 B πολλοῦ δέω μὴ οὐ δύο γε φεύγειν, in quo quid mirum videatur Madvigio l. l. p. 56 not. 49 non assequor; nam si in tertii ordinis verbis δέω numeramus, minus etiam insolens est locutio δέω μὴ οὐ, in qua altera negatio abundat.

3. Restat jam ut consentaneum esse dicamus, si verba ista εἴργειν, κωλύειν, ἀρνεῖσθαι cett. ipsa cum negativa particula conjuncta sint, ut plane irrita fiat negatio, idem etiam infinitivo accidere; est igitur οὐκ εἴργω σε μὴ οὐ ποιεῖν idem quod „non prohibeo te facere"; nam quomodo simplicem

verbi negationem in infinitivo repeti vidimus, eadem lege nunc utraque, sive ὑφ' ἓν fingere licet, non-negatio repetatur necesse est. Atque hanc orationem non posse inveniri in iis verbis quae ordini alteri (οὐ πείθω, οὐ ποιῶ) tribuimus patet, quia his non potest praeponi altera negatio; num vero reperiatur in iis quae sunt ordinis tertii, si quidem ipsa, non praeposita negatione, negativum sensum habent, velut αἰσχύνομαι, ἀνόητόν ἐστι, ἀδύνατός εἰμι, hoc certis quidem exemplis confirmare non possum, sed suspicari me hoc fieri potuisse jam supra p. 14 de ἐνδέω voce verba faciens professus sum. Sed utut haec res sese habet, plerumque in tali sententiae conformatione abundantem negationem nullam invenies, quum vulgo solerent dicere οὐκ ἀδύνατόν ἐστι γενέσθαι, non μὴ οὐ γενέσθαι. — Negationis significationem in infinitivo plane omitti posse etiam post verba εἴργω, ἀρνοῦμαι cett., ut dicere possis οὐκ εἴργω σε ποιεῖν, notum est; atque adeo eandem in sententiam οὐκ εἴργω σε μὴ ποιεῖν dicere licet, in quo ex enunciato affirmativo εἴργω σε μὴ ποιεῖν „prohibeo te facere“ unum illud μὴ remansit, οὐ vero ad totum ambitum pertinet. Hic sermo etsi insolentior est, tamen exempla ejus tentare non licet, quod fuerunt qui facerent[4]). V. p. 27.

4. Haec omnia ut mihi quidem videtur simplicissima sunt, multo sane simpliciora quam quis longas et operosas grammaticorum commentationes de μὴ οὐ particulis perlegens putaverit. Sed antequam ad alia progrediar, quartam etiam in hoc genere excogitari posse locutionem monebo. Nam curiosius hanc in rem inquirens quispiam sciscetur, quomodo hoc dixerint Graeci „non pudet me hoc non facere“, vel „non prohibeo te hoc non facere“. Ut mihi quidem videtur, evitarunt Graeci tales locutiones, in quibus et verbum primarium natura negativa cum negatione conjunctum esset, et infinitivus qui sequitur e logica ratione negatione praeditus esset, nimirum ne molesta exsisteret negationum confusio. Sed

[4]) V. Hartung, d. Partik. d. Grch. Spr. II. p. 173.

tamen exstant tales quales significavi loci velut in Xen. mem. 4, 8, 9 ἐμοὶ δὲ τί αἰσχρὸν τὸ ἑτέρους μὴ δύνασθαι περὶ ἐμοῦ τὰ δίκαια μήτε γνῶναι, μήτε ποιῆσαι; in quo μὴ illud sententia ipsa requiritur, abundans vero negatio nulla est. Idem perspicuum fit ex loco Plat. in Charm. p. 164 D οὐκ ἂν αἰσχυνθείην ὅτι μὴ οὐχὶ ὀρθῶς φάναι εἰρηκέναι. Ut mittamus ὅτι illud, quod hic nihil ad rem, haec verba aut sic struenda sunt οὐκ ἂν αἰσχυνθείην μὴ οὐ φάναι ὀρθῶς εἰρηκέναι, hoc ut sit „non pudet me negare me recte dixisse", aut quod magis mihi probatur, ita haec accipienda sunt, ut οὐκ ἂν αἰσχυνθείην φάναι verba unam notionem efficiant, ex quo pendeat μὴ οὐχὶ ὀρθῶς εἰρηκέναι, quod ita vertendum est „non pudet me dicere, me nou recte dixisse". Utcunque igitur haec accipis, habes eam orationis formam, quam modo significabamus; ex notione igitur dupliciter negata οὐκ ἄν αἰσχυνθείην φάναι (= οὐκ ἀρνοίμην) una altera negatio μὴ repetita est — ut in illo οὐκ εἴργω σε μὴ ποιεῖν „non prohibeo te facere" —, altera οὐ proprie ad ὀρθῶς εἰρηκέναι notionem in contrarium vertendam valet. Eandem posse cxcogitari orationem in verbis ord. I. Luciani locus docet in Philops. 19 εἰ δὲ μὴ χαλκοῦ — ἀλλὰ ξύλου ἐπεποίητο οὐδὲν αὐτὸν ἐκώλυεν οὐ Δημητρίου ἔργον εἶναι, in quo abundans negatio nulla est. cf. Arist. anal. pr. II. § 12 οὐδὲν γὰρ κωλύει τὸ α μήτε τῷ β, μήτε τῷ γε οὐδενὶ ἕπεσθαι. Diligentius alicui hanc in rem inquirenti quin plura hujus locutionis exempla praesto futura sint, non dubito; in libris grammaticis disputationibusque eorum qui particulis negativis operam dederunt frustra hujus formae sententiarum negatarum mentionem aliquam circumspexi.

Ex his omnibus facile perspectum iri spero μὴ οὐ negationes, si naturam earum accurate spectemus et ex Graeco dicendi usu perpendamus, nunquam sic temere unam negationem efficere, sed semper iuvicem sese tollere; tum vero si quis εἴργω σε μὴ ποιεῖν τοῦτο „prohibeo te hoc facere" dicat, vel οὐ πείθω σε τοῦτο μὴ οὐ ποιεῖν „non persuadeo tibi ut hoc non facias", μὴ particula non negationem quae in εἴργω vel οὐ

πείθω verbo contineatur repeti tantum, sed ex Graecorum cogitandi ratione re vera actionem infinitivo expressam negari.

§ 6. Haec variandarum negationum licentia, quam modo descripsimus, ut in nudo infinitivo et in infinitivis cum τὸ et τοῦ articulo conjunctis conspicitur, ita etiam in eum infinitivum, cui ὥστε particula addita est, cadit, id quod mirum possit videri. Etenim ὥστε particula si infinitivus verbo antecedenti adnexus est eventusque infinitivo declaratus tollitur verbo principali, negationem addi consentaneum esse ac paene necessarium credideris, quum in hac oratione sententententia infinitivi, nulla artiore necessitate cum verbo principali contracta, absolute dicatur suaeque potestatis paene fiat. Recte igitur Xen. an. 3, 5, 11 ὥστε δὲ μὴ ὀλισθάνειν ἡ ὕλη καὶ ἡ γῆ σχήσει. — Eur. El. 1255 εἴρξει γάρ νιν — ὥστε μὴ ψαύειν σέθεν. — Plat. rep. III. p. 405 C. ἱκανὸς — ἀποστραφῆναι — ὥστε μὴ παρασχεῖν δίκην. — Soph. Ai. 1339 οὐκ ἀντατιμάσαιμ᾽ ἂν ὥστε μὴ λέγειν eqs. — Thuc. 1, 49 ἀπεχόμενοι ὥστε μὴ ἐμβάλλειν τινί. — Eur. Iph. T. 1391 φόβος ἦν, ὥστε μὴ τέγξαι πόδα. Duplicem negationem μὴ οὐ post ὥστε inferri posse, si praecedat verbum dupliciter negatum, demonstrant loci Herod. 8, 57 καὶ οὔτε σφέας Εὐρυβιάδης κατέχειν δυνήσεται, οὔτε τις ἀνθρώπων ἄλλος, ὥστε μὴ οὐ διασκεδασθῆναι τὴν στρατιήν. Plat. Crat. p. 393 E. ὁρᾷς ὅτι (τὸ βῆτα) τοῦ η καὶ τοῦ τ καὶ τοῦ α προστεθέντων οὐδὲν ἐλύπησεν, ὥστε μὴ οὐχὶ τὴν ἐκείνου τοῦ στοιχείου φύσιν δηλῶσαι. — legg. p. 880 E. καὶ μηδὲν τεγχθέντων, ὥστε μὴ οὐκ ἐπὶ πᾶσαν ἰέναι κάκην. — Sed potest etiam illud ὥστε tam arte conjungi cum verbo antecedenti, ut hujus negativa sententia sponte in infinitivi actionem redundet; quod si fit, enunciatio consecutiva non magis eventum denotare videtur quam qualitatem, ut ita dicam, actionis propositione principali expressae, velut apud Xen. in hell. 7, 2, 13 ὥστε γὰρ τὴν σύντομον πρὸς τοὺς Πελληνέας ἀφικέσθαι ἡ πρὸ τοῦ τείχους φά-

ραγξ εἶργε. — Plat. rep. III. p. 394 E. πολλῶν ἐφαπτόμενος, πάντων (πάντως Ast.) ἀποτυγχάνοι ἂν ὥστ' εἶναί που ἐλλόγιμος. Haec vulgaris est orationis conformatio, quae obtinere solet, cum ὥστε particula non ex verbis istis negativis εἴργειν, ἀπέχεσθαι cett., sed ex verbo affirmativo cum negatione conjuncto pendet (cf. Ant. 1250 γνώμης γὰρ οὐκ ἄπειρος, ὥσθ' ἁμαρτάνειν. Ai. 1105. El. 964. Ant. 453. Ai. 1062. al.) Sed addidit Sophocles μὴ particulam in Ant. v. 96 πείσομαι γὰρ οὐ τοσοῦτον οὐδὲν, ὥστε μὴ οὐ καλῶς θανεῖν, quia οὐ negatio est in enunciato pendenti; urgetur igitur μὴ οὐ particulis eventus affirmativus ut in illo οὐ πείθω σε μὴ οὐ ποιεῖν τοῦτο.

§ 7. Sed jam tempus est, ut moneamus ex verbo principali diserte repeti posse negationem quomodo in infinitivis, ita etiam in iis enunciatis quae per ὅτι vel ὡς particulas pendeant, id quod vel minus mirum possit videri, quod hae propositiones minus arte ex verbo principali suspensae sint quam infinitivi. Ratio vero ea quam supra μὴ negationis repetitae post verba effectionem negativam significantia primariam ac propriam esse dicebamus, hic plane evanescit: nam si quis dicit ἀρνεῖται ὡς οὐκ ἀπείληφε τὸ χρυσίον „negat se accepisse“, non jam eventus quem quis exsistere non vult negatione fortius describitur, sed haec enunciata nihil praeterquam objectum verbi regentis sunt; effectionis vero negativae ne vestigium quidem relinquitur. Quare huic orationi ea fortasse adhiberi potest ratio, quam supra (p. 8) non rejecimus quidem prorsus, sed quam in universum valere diffidebamus, ut in ἀντιλέγειν, ἀρνεῖσθαι, ἀπιστεῖν ceterisque verbis, quatenus ad enunciatum pendens pertineant, una ajendi, credendi notio remansisse ac sensa esse credatur. Atque hujus dicendi generis forma semper ea est, ut post verbum aliquod negandi, dissidendi, diffidendi, sive cum negatione conjunctum est, sive absque negatione positum, in enuntiato pendenti cujus affirmativus sit sensus οὐ negatio addatur. Quod-

quoniam οὐ negatio abundat, quae syntaxis legibus requiritur, non μή, ne tum quidem, cum denuo negetur verbum negativum, abundare posse duplicem negationem ut in illo οὐκ εἴργω σε μὴ οὐ ποιεῖν ipsum patet. Exemplorum vicem suppleant loci hi: Isocr. Ph. 57. Dem. 34, 47. 21, 70. Plat. Men. p. 89 D. rep. V. p. 476 D, 457 D. VI. p. 500 E. 502 A. Verbum primarium cum negatione conjunctum est in Thuc. 1, 77. 3, 46. Dem. 9, 54. Plat. Eutyphr. p. 8 B—C. rep. VI. p. 502 B. Lys. p. 222 B. Prot. p. 350 D. Thuc. 3, 46.

Posse vero omitti illud οὐ, ut apud Plat. rep. VIII. p. 527 A, constat. Atque quoniam effectionis notio in hac oratione non jam conspicua fit, non mirum videtur, etiam post alterius ordinis (v. p. 7) verba οὐ illud illatum esse velut apud Plat. rep. VIII. p. 554 D Ἆρ' οὖν οὐ — ἐπιεικεῖ τινι ἑαυτοῦ βίᾳ κατέχει ἄλλας κακὰς ἐπιθυμίας ἐνούσας, οὐ πείθων, ὅτι οὐκ ἄμεινον, — ἀλλὰ eqs., in quo οὐκ ἄμεινον verba non possunt referri ad κακὰς ἐπιθυμίας, sed pertinent ad universam sententiam κατέχει ἄλλας κακὰς ἐπιθυμίας. — Sed huc non revocandum est quod legitur apud Thuc. 1, 122 καὶ οὐκ ἴσμεν ὅπως τάδε τριῶν τῶν μεγίστων ξυμφορῶν οὐκ ἀπήλλακται, quo in loco οὐ particula, a Kruegero et Classeno male ejecta, revera negatur ἀπήλλακται notio. V. Boeckh. ed. Ant. p. 216.

§. 8. Huc cum disputationis pervenerim facere non possum, quin unum locum digito monstrem qui est Antigonae

v. 376 ἐς δαιμόνιον τέρας ἀμφινοῶ
τόδε, πῶς εἰδὼς ἀντιλογήσω
τήνδ' οὐκ εἶναι παῖδ' Ἀντιγόνην.

Hic cum in enuntiato principali duplex lateat negatio, sententiaque propositionis pendentis per se negativa non sit („hanc esse Antigonam"), secundum ea quae supra exposuimus exspectaveris aut τήνδε μὴ οὐκ εἶναι aut τήνδε εἶναι aut τήνδε μὴ εἶναι, quorum nihil libri praebent. Ex interpretibus unus Erfurdtius in hac οὐ negatione offendisse videtur, sed ea quam ipse ingressus est ratione difficultas non

expeditur. Nam quod duplicem negationem quae inest in πῶς ἀντιλογήσω tollere et ad simplicem redigere ita sibi visus est, ut τόδ' ὅπως scriberet mirifice falsus est, nimirum quod vel in hoc ipso ἀμφινοῶ ὅπως ἀντιλογήσω sententia dupliciter negata remanet haec „ambigo quomodo infitier“ i. e. „non potuerim negare“. Haec igitur Erfurdti ratio non procedit in numerum; ceteri vero editores illud οὐκ non aegre tulerunt, quamvis nemo eorum ne unum quidem simile exemplum attulerit. Sed poterant afferre verba Alciphr. rhet. lib. II ep. 2 οὐκ ἀρνοῦμαι πρὸς τὸν νεανίσκον οὐκ οἰκείως ἔχειν ἐκ πολλοῦ. alem vulgata scriptio hunc locum exhibet, in cod. Florent. ὐκ particulae loco lacuna exstat, et ab uno cod. Dorvilliano a est οὐκ, quocum et Seiler. et Meineck. hanc vocem proscipserunt. Bergler. quae ad hunc Alciphr. locum confirmadum attulit exempla prorsus abhorrent ab hoc genere dicedi, neque magis recte Herm. in adn. ad Vig. p. 791 huju loci defensionem suscepit his usus verbis „Nam οὐ eodenmodo in hac formula poni potuit, ut in illa οὐ μᾶλλον ἢ οὐ.“ Quae tandem inter has duas locutiones similitudo interce? Alia igitur ratione horum locorum defensio suscipienda it. Natura eorum certe eadem est atque illius οὐκ ἀρνοῦμαι ἢ πεπτωκέναι: οὐκ illud quod infinitivo additum est, non sa infinitivi sententia requiritur, sed abundanter additum e ad significandum eventum actionis negativae quae in verl primario continetur. Venit igitur jam in disceptationem hae uaestio, licueritne Graecis in infinitivis οὐ negatione uti o μή, si negatio non proprie ad verbum pertineat, sed re ita adjiciatur. Hoc sane constat inter omnes, οὐ negationen quando certam aliquam notionem quo proprie pertineat it tollit aut in contrarium vertit, ibi etiam locum habere, universa orationis conformatio per se spectata μή require videatur; hanc tamen rationem nostro loco adhiberi non po patet. Neque plus Ellendt. proficit, qui in lexico Soph. (οὐ voce, ni fallor) nostrum locum cum talibus composuit ales sunt Ph. 1389 φημὶ δ' οὔ σε μαν-

θάνειν, O. R. 552, 744. Tr. 106, Ant. 1246 al. Nam infinitivis ex verbo aliquo declarandi vel sentiendi suspensis et οὐ et μὴ negationem adjungi posse notum quidem est prout aliquis aut contendat rem cum negatione propositam, aut negatio subjecti ipsius judicio et praedicatione, ut hoc verbo utar, efficiatur; sed possit videri haec licentia ab ea negatione abhorrere, quae per pleonasmum subjici vulgo dicitur, rationem si habeas eorum quae supra (pag. 9 sq.) de hujus negationis natura exposuimus, effectionem negativam hoc μὴ abundanti declarari dicentes, in qua semper conspiceretur subjecti voluntas. Sed tamen repetutanti mihi, quanta esse Graecorum in negationum usu licentia, eodem jure hic locum invenire videbatur οὐ particula, quo haec negatio repetita additur enunciatis per ὡς vel ὅτι particulas ex verbo aliquo negativo pendentibus, de quibus modo verba fecimus. Quomodo igitur licebat Graecis dicere οὐκ ἀντιλογήσω ὅτι ἥδε οὐκ ἔστιν Ἀντιγόνη, ita similitudine inductus dicere usus est Sophocles πῶς ἀντιλογήσω τήνδ' οὐκ εἶναι Ἀντιγόνην. Sed tamen hoc memorabile est, et debebant grammatici, qui de hoc negationis usu ne verbum quidem fecerunt, hi attendere; quod si fuerit, plures fortasse loci similes excitabuntur. — Quae si recte disputavi, aliter fortasse constituendum erit de loco Alciphr. II, 2 quam Meineck. et Seiler. fecerunt, et potest ferri illud οὐκ οἰκείως; sed tamen hoc de loco judicium facere non ausus sim, ut qui quanta fides codici Dorvill. habenda sit pro explorato non habeam; lacuna certe quae in Florent. inest οὐκ illud commendat. — Alios ad huc facere videantur locos non habeo, nisi unum Alciphr. 29, 4 commemoraverim: τὸ μὲν γὰρ δοκεῖν αὐτὸν οὐκ ἧττον τοῦ σοὶ ἐντυχεῖν ἢ τῶν Ἰσθμίων ἕνεκεν τὴν ἀποδημίαν πεποιῆσθαι, οὐ πάνυ πείθομαι, quo de loco ne nunc disputem artiores quibus haec dissert. circumscribenda est fines obstant. Quodsi in his locis e Sophocle et ex Alciphronis epistolis allatis οὐκ illud re vera non sollicitandum est, ideo concedere non licet, ubique pro οὐ abundanti μὴ potuisse dici; uti Xen. in an. 2,

5, 29 Τῶν δὲ στρατιωτῶν ἀντέλεγόν τινες αὐτῷ μὴ ἰέναι τοὺς λοχαγοὺς καὶ στρατηγοὺς, μηδὲ πιστεύειν Τισσαφέρνει, vel hell. 2, 2, 19 ἀντέλεγον Κορίνθιοι μὴ στένδεσθαι Ἀθηναίοις non poterat non μὴ scribere, quia his in sententiis non res ac factum negatur, sed dissuadentium militum voluntas et consilium describitur, ut ne ὅτι οὐ quidem formula apta foret.

§. 9. Sed quoniam his Antigonae versibus tantum operae impendi, illud quoque attexere non absonum fuerit, mirum mihi videri Hermanni judicium, qui non magis hic μὴ οὐ τήνδ' εἶναι, quod conjecerat Erfurdt., scribi potuisse contendit, quam latine quemquam dicturum esse: „quomodo contradicam, quominus haec sit Antigona?" Hoc prorsus falsum est; Latina vero afferre ne tali in re omnino parum valeat, admodum vereor. Reperitur sane haec orationis forma cum in ἀρνεῖσθαι, ἔξαρνον εἶναι, ἐναντιοῦσθαι (i. e. „negare"), ἀντιγνωμονεῖν aliisque hujus generis verbis, tum in ipso ἀντιλέγειν, quod ab ἀντιλογεῖν non differt, ut apud Dem. 20, 8 οὓς οὐδ' αὐτὸς οὗτος ἀντείποι ἂν μὴ οὐχὶ καλῶς ἔχειν. 24, 24 καὶ οὐδεὶς πώποτε ἀντεῖπε μὴ οὐ καλῶς ἔχειν αὐτούς. Xen. conv. 3, 3 ἀλλ' οὐδείς σοι, ἔφη, ἀντιλέγει τὸ μὴ οὐ λέξειν eqs. cyrop. 2, 2, 20 αἰσχρὸν τὸ ἀντιλέγειν μὴ οὐχὶ τὸ κοινὸν τούτων καὶ μεγίστων ἀξιοῦσθαι.

At haec Hermannum fugere non potuerunt. Concedo; jam nulla alia potuit esse causa qua μὴ οὐ illud ferri posse negaret, quam quod ut in re certa μὴ particulam desiderabat. Haec enim est Hermanni de harum particularum discrimine sententia, quam variis locis saepius protulit. Jam igitur in eam inquirendum erit, quo in negotio plures fortasse locos Sophocli vindicare poterimus.

Trach. v. 90 codices talem exhibent, qualem supra praescripsimus οὐδὲν ἐλλείψω τὸ μὴ πᾶσαν πυθέσθαι τῶνδ' ἀληθείαν πέρι, i. e. „nihil praetermittam, quin omnem hac de re veritatem cognoscam". Brunckius primus infersit οὐ, quem

editores omnes, quos equidem novi, secuti sunt. Ex his Hermannus saltem qua causa ductus fuerit significavit in adn. ad Vig. p. 798: is cum sibi persuasisset, μὴ οὐ particulis dubitantius rem proponi, sola μὴ gravius affirmari, in re futura μὴ οὐ, at ad certo affirmandam rem vere factam μὴ dicendum esse constituit. Haec Hermanni lex etsi causam ejus rationemve aliquam in ipsarum negationum natura positam non intellego, aliquam tamen commendationem habet inde, quod cum magna exemplorum parte, quae satis multa inspexi, congruit. Neque tamen inviolata est, ac ne potest quidem esse. Nam hoc certe ipsum patet, etiamsi verum sit „μὴ si certa sit negatio, μὴ οὐ, si cum dubitatione conjuncta sit, usurpari" — nihil obstare, quominus etiam rem futuram ut certissime eventuram praedicemus. Atque dicitur sane μὴ (pro μὴ οὐ) de rebus quae adhuc futurae aut re vera sunt, aut esse cogitantur, ut in Soph. fragm. no. 142 οὐ (φεύγεις) τὸ μὴ κλύειν κακῶς, qui versus simillimus est nostro, in loco Dem. 20, 135 οὐδὲ γὰρ ἀμφισβήτησις καταλείπεται τὸ μὴ ταῦτα ποιεῖν, in Ai. v. 1339 οὐκ ἀντατιμάσαιμ' ἄν, ὥστε μὴ λέγειν seq. Quibus locis — quoniam Herm. legem suam ad eam quoque hujus orationis conformationem pertinere vult, quam sub exemplo II. „pudet me non fecisse" proposuimus — addo Arist. nub. 1084 ἕξει τίνα γνώμην τὸ μὴ εὐρύπρωκτος εἶναι; Plat. apol. p. 29 C. ὃς ἔφη — οὐκ οἷόν τε εἶναι τὸ μὴ ἀποκτεῖναί με. Plat. legg. VI. p. 781 E. σχολῆς γὰρ ἀπολαύομεν καὶ οὐδὲν ἡμᾶς ἐστι τὸ κατεπεῖγον τὸ μὴ πάντη πάντως σκοπεῖν τὰ περὶ τοὺς νόμους. In re autem vere dubitanter, non certo proposita μὴ illud habes in Thuc. l. I. 10 οὐκ ἀκριβεῖ ἄν τις σημείῳ χρώμενος ἀπιστοίη μὴ γενέσθαι τὸν στόλον τοσοῦτον. Neque minus μὴ οὐ locum habet quando res certa et ad eventum jam perducta est, ut apud Lucian. dial. meretr. XII, 3 οὐ γὰρ ἔφερον μὴ οὐχὶ συνεῖναι αὐτῇ, quae non ejus sunt verba, qui nunquam puellam suam relicturum se esse dicit, sed ejus, qui a patre inclusus meretricis visendae copiam sibi non esse dolet; porro apud Plat. rep. I. p.

354 B οὐκ ἀπεσχόμην τὸ μὴ οὐκ ἐπὶ τοῦτο ἐλθεῖν. Xen. cyr. 1, 6, 32 οὐκ ἀπέσχοντο οὐδ' ἀπὸ τῶν φίλων τὸ μὴ οὐχὶ πλεονεκτεῖν αυτῶν πειρᾶσθαι. Utut igitur res sese habet, ista Hermanni lex non ea est, propter quam librorum mss. fidem tentare et conjecturas facere liceat.

Qualis est hic Trach. locus, talis est Aesch. Prom. 787 οὐκ ἐναντιώσομαι τὸ μὴ γεγωνεῖν πᾶν, ubi nescio an non recte suae legi gratificatus Herm. receperit τὸ μὴ οὐ, quod non exstat nisi in uno cod. Lipsiensi et Vitenbergensi, qui deterioris notae sunt, et in Mediceo a secunda manu superscriptum est. Mihi certe ne in minutiis quidem his a codicum auctoritate recedendum esse videtur. Quo magis mirus est Nauckius qui in Soph. Tr. 225 οὐδέ μ' ὄμματος φρουρὰ [φρουρὰν Musgrav.] παρῆλθε τόνδε μὴ λεύσσειν στόλον addidit οὐ post μή. Vellem significasset Nauckius aliquam rationem, qua haec correctio niteretur; ego emendandi plane nullam necessitatem video. Jam ante Nauckium Hermannus in dissert. de ell. et pleon. (opusc. I. p. 234) οὐκ illud adjecerat, postea vero ad Viger. p. 798 retractavit. Rectissime. Quidni Nauckius in Phil. quoque versu 349 οὐ πολὺν χρόνον μ' ἐπέσχον μή με ναυστολεῖν ταχύ illud οὐ desideravit? — Nec minus temere olim versus Ai. 96 et Ant. 443 κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή ita sollicitabantur, ut οὐ post μὴ subjicerent.

II.

§ 10. Sed de his omnibus quum jam satis, ne dicam justo copiosius disseruisse nobis videamur, accedamus jam ad difficiliorem hujus disputationis partem, quae versatur in negationibus abundanter quod dicunt participio adjectis. Exemplorum enim satis magno numero constat, in participiis etiam negationis aliquam abundantiam inveniri, idque ita plerumque, ut post verbum sive sua natura negativum, sive cum negatione conjunctum μὴ οὐ participio additum sit, ubi simplicem negationem exspectaveris. Hoc ita esse tam est

certum, ut conjecturis tentare si qui loci ejusmodi occurrant audacioris, non sobrii ac modesti critici esse mihi videatur. Imo potius nostrum nihil aliud est, quam qua ratione hoc idioma mirum sane nitatur investigare; atque ut multi hac in re fuerunt grammatici, ita num laetiores fructus hinc redundaverint non dubitare non possum. Nam quantum ego video, in variis hujus proprietatis explicandae rationibus suo magis arbitrio homines docti gratificati sunt, quam quod eorum explicationes a Graecae linguae natura et indole verisimilitudinis aliquam speciem habeant, praesertim cum in horum numero inventi sint, qui levius quam par erat in hac quaestione versati, ne talibus quidem exemplis fundamenta disputationis jacerent, quibus hujus locutionis generalis aliqua forma et ad rei naturam proprie pertinens repraesentaretur, sed ea eligerent, quibus cum singularis quaedam proprietas esset ipsorum ratio commodius posset adaptari. Horum omnium conatus, ut chartae parcam, neque hic explicare neque refellere in animo est, praesertim cum ex parte quidem hoc Wentzeli opera in progr. Oppeln. a. 1831 (p. 4 — 14) et Glogov. 1843 (p. 1 et 2) effectum sit, ut merito hoc negotio possim supersedere.

Sed tamen Hermanni rationem, quem praeterire paene nefas est, breviter apponam. Is in Vig. p. 800 haec habet: „Venio ad μὴ et μὴ οὐ cum participio vel nomine conjunctas. Has tenendum est conditionis indicandae causa sic usurpari, ut μὴ si non, μὴ οὐ nisi significet, quae eo differunt, quod nisi dubitantis est, si non autem sumentis quid ut certo negatum.“ Explicuit v. d. hunc usum in dissert. de ell. et pleon. (opusc. I. p. 228—44) ita, ut illud μὴ οὐ in medio addi diceret repetendis cogitatione praecedentibus verbis, id quod planum facit allato exemplo Dem. (29, 123) p. 379 αἵ τε πόλεις καὶ χαλεπαὶ λαβεῖν, μὴ οὐ χρόνῳ καὶ πολιορκίᾳ, quam orationem si plenius exprimeretur hanc habituram esse dicit formam: αἱ πόλεις καὶ χαλεπαὶ λαβεῖν, μὴ οὐ χρόνῳ καὶ πολιορκίᾳ λαβεῖν ὦσι „vide ne sine mora et obsidione difficiles

sint". Vides jam Hermannum quid inter nisi et si non interesset non prorsus recte intellexisse, deinde vero ex ejus ratione non apparere, cur illud μὴ οὐ participio non apponatur, nisi praegressa sententia negativa; tum hac ratione non omnes qui huc pertineant locos explicari posse ex iis quae infra disputabimus intellegetur; denique abrupta hinc et tortuosa oratio efficitur, quae vel ideo parum commoda videtur esse, quia quod priore sententiae parte certo praedicatum est, altera dubitanter praedicatur.

Reisigi, qui in commentt. critt. ad Soph. O. C. p. 237 sqq. justo et obscurius et levius de hac materia disseruit, sententia eo redire videtur, ut μὴ οὐ particulae in hoc usu in vicem sese non tollant; sed addi vult μὴ particulae alteram οὐ sic, ut quis conditionem participio expressam infitietur, quacum oratione illam comparat, qua οὐ bis positum in eadem sententia nervosius neget. Hoc μὴ μὴ particulis dicendum fuisse quivis videt. Sed de hac ratione ne verbum quidem facere placet.

Quem multa legere et tempus terere juvat, eum ablego praeterea ad Wex. epist. crit. ad Gesen. p. 14 sq., Merz. comment. de vero et genuino particc. μὴ et μὴ οὐ usu, Hartung. Die Partikeln d. gr. Spr. II. p. 171—173. Gayler. accurata disput. de partt. Gr. sermonis negatt. p. 399—401, cui cum Kühnero gram. § 718 et Matthiaeo gram. § 609, 2 placet, οὐκ illud μὴ particulae additum ad negationem fortius exprimendam valere. Ex recentioribus qui de hoc usu quaestionem perpetuam et accuratam instituerit, nescio quemquam. Bäumlinius etiam in libro de particc. Grr. in negationum abundantia penes infinitivos parum diligenter versatus, de participiis prope nihil disseruit. Pauca ea, quae dixerunt de hoc usu Madvig. in Philol. a. 1847 Suppl. II. et Lieberkühn. in progr. Vismar. a. 1853 infra apponam.

Sed in Wentzeli rationem, quum nesciam num quo in loco ejus sententiae censura acta sit, quam brevissime fieri poterit inquirere debeo. Is in progr. Glogovensi a. 1843 p. 3 sq.

οὐ βιώσομαι μὴ οὐ ξυνὼν τούτῳ τῷ φίλῳ exemplum hoc modo explicat: οὐ negatione repeti οὐ βιώσομαι sententiam, μὴ vero particula hanc sententiam negativam ea conditione tolli, ut quod participio expressum sit, id ad effectum perducatur, post μὴ verbum aliquod sentiendi (velut ὑπολάβῃς, νομίσῃς) una esse intellegendum, quae similis sit ellipsi post μὴ ὅτι, μὴ ὅπως formulas agnoscendae. Inde factum esse, ut μὴ οὐ idem valeat quod *nisi*, μὴ idem quod *si non*; plenam igitur illius enunciati sententiam hanc esse „ich werde nicht leben, denke nicht, dass ich nicht leben werde, wenn ich mit diesem Freunde Umgang habe."

Quibus quae opponam habeo haec. Οὐ βιώσομαι μὴ οὐ ξυνὼν enunciatum, quod valet Wentzelio „non vivam nisi ero", manifesto nihil aliud est quam negatio sententiae βιώσομαι μὴ ξυνὼν τούτῳ τῷ φίλῳ, si quidem hujus sensus est „vivam nisi ero cum hoc amico" (neque vero „vivam si non ero cum hoc amico")[5]. Quodsi igitur verum est Wentzeli praeceptum, μὴ esse si non, μὴ οὐ nisi, hoc enuntiatum βιώσομαι μὴ ξυνών in eam quam significavimus sententiam dictum, sic viro doctissimo explicandum est „ich werde leben, glaube nicht dass ich leben werde, wenn ich Umgang mit diesem Menschen habe." Concedetne hoc Wentzel.? An vero istam rationem, quam si inter enunciatum conditionale et ejus consequentiam intercedit, Romani nisi particula significabant, Graecos denotare neque voluisse neque potuisse opinatus est, nisi antegressa sententia negativa? — Tum vero minus aptum est, sententiam qualemcunque primo absolute negari et in universum, deinde cum conditione affirmari, idquod Wentzeli ratione efficitur. Aliud nimirum est „non vivam nisi ero cum amico", aliud „non vivam, vivam cum amico". Tandem quod gravissimum est, Wentzel. ea quam excogitavit explicatione coactus est, ut ubicunque occurrat participium cum his μὴ οὐ particulis conjunctum, conditionalem sententiam agnoscat et

---

5) V. Wentzel, disputantem l. l. p. 5 init.

eruat; quod quantum non possit fieri ex exemplis paullo infra afferendis cognitum iri spero. Inde factum est, ut ironiam quandam in loco Herod. 2, 110 οὔκων δίκαιον εἶναι ἱστάναι ἔμπροσθε τῶν ἐκείνου ἀναθημάτων μὴ οὐκ ὑπερβαλλόμενον τοῖσι ἔργοισι agnoscere sibi videatur necesse sit, quae longissime ab hoc loco abhorret.

Sed istae sunt machinae quibus nihil efficitur, omninoque valde vereor, ne extrinsecus voculis quibusdam arcessendis quae una intellegantur in tali re parum proficiamus; omnis oratio per se spectata sensum aliquem sanum praebeat necesse est, licet nobis ipsi, ut qui aliter loquamur, vim voci alicui natura insitam quo expeditius perspiciamus, ellipsis similibusve adjumentis adhibitis succurramus, quibus tamen possimus carere oportet.

§ 11. Mihi quidem non dubium est, quin ubi Graeci participio μὴ οὐ particulas pro ea quam exspectaveris, simplici μή, adjecerint, ibi generalis eadem obtineat lex, quam supra in omni negationum repetitione cognoscere nobis videbamur. Erat autem haec lex: negatio per pleonasmum, ut ita dicam, non additur, nisi in tali sententia (infinitivo nimirum, seu simili ratione expressa), quae, si eam per se nullisque ad alia verba relationibus implicatam spectaveris, re vera negativa est. Atque cum sententia pendens, infinitivo aliove modo expressa, sub imperio quasi esset negationis enunciato principali comprehensae, siquidem nihilo secius negabatur infinitivus, hic quem dicimus infinitivus e dominatione verbi primarii excedere aliquantulum putandus erat, in quo quamvis levis anacoluthi species apparet. Sed repetita negationis memoria apud infinitivum negatio haec denuo fortiusque inculcabatur animoque affigebatur. — Quid igitur? Nonne eadem possit esse negationis vis participiis additae? Hoc saltem patet, participium eodem modo, quo aliud aliquod attributum — si hoc verbo in eam, in quam nos dicere solemus sententiam uti licet — accuratioris definitionis causa

additum in sententia negativa aut pertinere ad hanc negativam sententiam cujus causam aliamve rationem indicet, ut si dicas „ich werde ihn nicht verlassen, erfreut über seine Handlungsweise“; quod si fit, attributum non sub imperio est negationis praegressae. Aut potest attributum rationem aliquam indicare sententiae affirmativaé, ut ipsum pendeat ex negatione quae praecesserit, ut in hoc „Ich werde mich nicht aus Furcht vor dem Gerede der Leute von ihm lossagen“. Hoc modo si ipse negativus est attributi sensus, negationem participio addere Graecis licebat, in quo nihil est mirum; quam in rem exempla affero ex Soph. Antig. v. 1042 οὐδ' ὣς μίασμα τοῦτο μὴ τρέσας ἐγὼ θάπτειν παρήσω κεῖνον[6]) et v. 458 τούτων γὰρ οὐκ ἔμελλον ἀνδρὸς οὐδενὸς φώνημα δείσασ' ἐν θεοῖσι τὴν δίκην δώσειν. Quod ut simplicissimum est, ita viros doctos fallere potuisse infra videbimus.

§ 12. Porro actio participio expressa si consequentiam indicat actionis negativae, quae in sententia principali continetur, res plane similiter sese habet, atque supra de infinitivis descripsimus, ut negationis additae natura facillima sit ad perspiciendum. Sane quidem verum est, participium ut quod attributi seu praedicati necessitudinem cum enunciato contraxerit, artius cum verbo conjunctum esse; neque tamen audacius participio adjiciatur haec negatio quam infinitivo cum τοῦ articulo pronuntiato (v. p. 3). Quamquam admodum rara est haec oratio, quia ad consectarium aliquid sive eventum significandum Graeci infinitivo vulgo utuntur, ut dicere non possis αἰσχύνομαι τοῦτο μὴ οὐ ποιῶν pro αἰσχύνομαι τοῦτο μὴ οὐ ποιεῖν. Sed tamen huc facit Luciani locus de saltat. c. 5 εὖ οἶδα ὡς οὐκ ἀνάσχοιο ἂν μὴ οὐχὶ πρὸ τῶν ἄλλων θέαν ἐν ἐπιτηδείῳ καταλαμβάνων, quod quale sit ut appareat, appono Aesch. Eum. 914 οὐκ ἀνέξομαι τὸ μὴ οὐ τήνδ' ἀστύνικον ἐν βροτοῖς τιμᾶν πόλιν. Diog. Laërt. VII, 176

[6]) Parum apte Neuius, Wunder., Wex. οὐδὲ μὴ conjunxisse mihi videntur.

οὐκ ἠνέσχετο μὴ οὐ τὸ λοιπὸν ἄνεσιν ἐν φθιτοῖς ἔχειν. Perperam igitur Wentzel Luciani verba intellexit interpretatus „so weiss ich wohl, dass du dich nicht beruhigen möchtest, ausser du nähmest vor den übrigen Zuschauern an einer geeigneten Stelle Platz"; imo vero sic vertendum erat „abstinere te non possis, quin in commodo loco considas". Οὐκ ἀνέχομαι notio simpliciter est negata, repetita igitur est altera negatio μή, proprie ad verbum καταλαμβάνων pertinet οὐ (v. p. 16, 2 sq.). Cum participio conjunctum habes ἀνέχομαι verbum, quod fere infinitivus sequitur, in Plut. Sull. c. 5 πῶς ἀνέχεται μὴ πρῶτος ὢν ἁπάντων. Plat. Euthyd. p. 278 E. ἀνάσχεσθον οὖν ἀγελαστὶ ἀκούοντες. — Eandem secundum rationem explanandos esse censeo duos locos Sophocleos. Alter est O. C. v. 359

ἥκεις γὰρ οὐ κενή γε, τοῦτ' ἐγὼ σαφῶς
ἔξοιδα, μὴ οὐχὶ δεῖμ' ἐμοὶ φέρουσά τι,

qui criticos non mediocriter exercuit. Horum verborum sententia haec fere sit necesse est: venisti enim non vacua, hoc probe scio, nuntias mihi pavorem aliquem. Constructio vero ad infinitivi similitudinem effícta est: nam uti dicere possis pro κενὸς τοῦ φέρειν κενὸς τοῦ μὴ φέρειν (= κενὸς ὥστε μὴ φέρειν), et praegressa negatione οὐ κενὸς τοῦ μὴ οὐ φέρειν (= οὐ κενὸς ὥστε μὴ οὐ φέρειν), sic Sophocles dicere ausus est οὐ κενὴ μὴ οὐ φέρουσα, id quod ex κενὸς adjectivi notione consequeretur participio, non infinitivo exprimens. In simplici igitur oratione dicendum erat ἥκεις οὐ κενὴ δεῖμ' ἐμοὶ φέρουσά τι, unde repetitam esse apparet utramque negationem in enunciato primario (οὐ κενή) comprehensam, ut in illo οὐκ εἴργω σε μὴ οὐ ποιεῖν „non prohibeo te facere". Hac una ratione probabiliter possit explicari hic locus; interpretes vero mira de eo commenti sunt. Alter locus est O. R. v. 57

ὡς οὐδέν ἐστιν οὔτε πύργος οὔτε ναῦς
ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔσω,

quod una negatione μὴ ex ἔρημος verbo addita ita dictum est, uti dicere possis ἔρημος τοῦ μὴ ξυνοικεῖν ἄνδρας vel ἐρη-

μος ὥστε μὴ ξυνοικεῖν ἄνδρας; nunc vero quum participio hoc expressum sit, prolepsim quandam in ξυνοικούντων verbo deprendis quae satis usitata est tragicis. Quamquam si quis haec ita malit intellegere, ut ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων genetivi non pendeant ex ἔρημος voce, sed specie genetivorum absolutorum explicationis causa ἔρημος verbo additi sint, equidem non refragor; sed nostram quoque rationem ex natura legibusque esse linguae Graecae contenderim.

§. 13. Verum enim vero longe alia est ratio majoris partis eorum locorum qui huc faciunt. Vidimus utique in his omnibus, quae hucusque tractavimus, actionem verbi ex abundantia negati, quod ad ipsius effectionem attinet, re vera tollendam fuisse negatione, id quod repetita negatione disertius fit, quam ea cujus vis per totum enunciatum patet. Contra secundaria sententia, quae propositionem principalem quomodocunque accuratius definit et describit, nexu sive causali sive conditionali cum ea conjuncta, plerumque non tollitur una cum eventu negativo actionis primariae, sed suum habet sensum integrum atque liberum, qui non tenetur eventu actionis principalis. Veluti in hoc οὐ βιώσομαι μὴ ξυνὼν τούτῳ τῷ φίλῳ conditio μὴ ξυνὼν τούτῳ τῷ φίλῳ verbis circumscripta absoluta est neque pendet ex οὐ βιώσομαι notione, imo vero prorsus contrarium est.[7]) Quare qui sententiam

[7]) Hoc discrimen quod intercedit inter infinitivi, de quo supra verba fecimus, et hujus participii naturam, difficultatemque quae hinc oritur ei, qui negationis abundantis rationem expedire studet, Madvigium fugisse permirum est. Is enim in Philol. l. l. p. 55 adn. 47 negationum οὐ μὴ usum participiis praefixarum his verbis perstrinxit: „Indem man nun die Ausführung einer Handlung in negativer Weise (mit einer negativen Nebenbestimmung) verneinte, geschah es, dass man durch eine demjenigen, was beim Infinitiv vorging, ganz analoge Anticipation die Verneinung der Weise und der Nebenbestimmung gleich als aufgehoben auffasste und bezeichnete.“ Hoc jam vides non quadrare nisi in ea participia, quorum naturam uno e Luciano, duobus e Sophocle exemplis allatis explicare modo conabamur. Contra ab iis participiis, de quibus nunc agimus, haec quam Madvig. dicit anticipatio prorsus abhorret. Eandem

αἱρήσεται τὸ βέλτιστον μὴ πειραθεὶς ἁπάντων negaturus erat, ei dicendum fuit οὐχ αἱρήσεται τὸ βέλτιστον μὴ πειραθεὶς ἁπάντων, quod et sufficit sententiae et logicae conveniens est. At dixit Lucian. Hermot. c. 49 nihilo minus ὡς οὐκ ἄν τις ἕλοιτο ἐκ πολλῶν τὸ βέλτιστον μὴ οὐχὶ πειραθεὶς ἁπάντων, atque hic usus linguae Graecae majore exemplorum numero confirmatur, quam quae emendando tollere liceat. — Quaeritur jam, qua ratione hic negationum usus explicari possit. Res admodum est difficilis, ne dicam prorsus inexplicabilis. Sed hoc saltem in aperto est: si quis dicit οὐχ αἱρήσεταί τις τὸ βέλτιστον μὴ οὐχὶ πειραθεὶς ἁπάντων ut hoc sit „nemo eligere possit optimum, nisi omnia expertus sit", participium οὐ negatione addita non in tantum negari, in quantum actionem illam eligendi circumscribat et conditione teneat — non magis quam in illo εἴργω σε τοῦ μὴ διαβῆναι negabatur infinitivus quatenus logice erat ex relatione ad verbum εἴργω. Sed ut in illo εἴργω σε τοῦ μὴ διαβῆναι evanescebat ratio logica praevalente studio eventus indicandi, similiter in nostra dictione primariam et logicam rationem qua inter se continentur verbum principale et participium evanuisse necesse est, praevalente aliena quadam auctoritate, qua aliquo modo conformata sit sententia. Qualem igitur esse putabimus hanc alienam auctoritatem, hanc sententiae conformationem, qua factum sit, ut negatio praegressa potestatem suam atque vim ad participium pertinentem abjiceret? Age periclitemur! Ut mihi videtur, notio participio comprehensa μὴ οὐ particulis exprimitur tamquam aliquid, quod abesse non debeat ad efficiendum id quod verbo principali expressum est. Vis igitur μὴ οὐ particularum in hac dictione ea est, ut *removeatur cogitatio attributum certum quoddam posse non esse in ea sententia quae pronuntiatur*; participium

sententiam ruminatus est Lieberkühn. in progr. Vismar. a. 1853 p. 17, μὴ οὐ participiis eodem modo adjungi affirmans, qui de infinitivis valeret, similiter ut ἄν particula ad participia eo jure et modo referretur, ut infinitivis et finitis formis adhaereret. Doctam profecto comparationem!

vero adeo non arte verbo principali adstrictum est, ut una attributi potestas in eo agnoscenda sit. Vides igitur in hac quoque oratione μὴ οὐ particulas invicem sese tollere; significatur enim hoc fere μὴ οὐχὶ ξυνὼν ambitu „denn ich will zusammen sein, in so fern ich zusammen sein müsste,“ vel simile aliquid, quod vernacula lingua modo non imitari potes: reddas enim hasce particulas „ich müsste denn“ [8]) aut „denn ich müsste“ formulis, prout participii sensus conditionalis aut causalis est, quae rationes in Graeco sermone interdum vix possunt distingui. Cernitur autem in Germanicis istis formulis simile anacoluthon atque in Graeca μὴ οὐ. Atque ut finem jam faciam, οὐ particula pertinet ad participium, μὴ voce removetur negativa ista conditio (οὐ ξυνών) vel negativa causa, respecta videlicet non actione negativa οὐ βιώσομαι, sed affirmativa βιώσομαι, non aliter atque Germanicae formulae, quas modo commendavimus, ad affirmativum enunciatum referendae sunt, non ad negativum. Quod vero οὐ negatio adjuncta est participio, in eo vix haerebit quisquam, dum ejus legis meminerit, de qua supra (pag. 17) recordati sumus. At mirus sane est μὴ particulae usus; etenim quod μὴ voce removetur pars quaedam sententiae, hoc quidem ideo nobis insolens videtur, quia nos, quippe qui careamus particula cujus similis sit vis atque Graecae μή, hanc removendi actionem fieri non posse opinamur nisi integra enunciatione imperativo similive modo expressa. Sed tamen fuisse istam μὴ particulae vim et μὴ ὅτι [9]), μὴ ὅπως formulae docent, quarum mentionem intulerat

---

8) Hoc igitur recte et Hermannus et Wentzelius senserunt, haec participia cum μὴ οὐχὶ particulis conjuncta — si modo conditionem significant — latine reddenda esse enuntiato conditionali „nisi“ particula instituto. Hoc enim „nisi“ ut exceptio indicatur, qua quid non fiat, quod ceteris a rebus certo fiat, ita postulatio, ut ita dicam, significatur, quae ad effectionem actionis principalis necessaria sit. — Sed tamen simplicem quoque μὴ particulam Latinorum „nisi“ valere posse, ipsum patet.

9) Abesse posse ὅτι illud locus arguit Dem. 24, 169 καὶ Τιμοκράτης — οὐδ' ἂν παρ' ἑνὸς λαβεῖν ἠθέλησεν ἐγγυητὰς μὴ μέχρι τῆς ἐνάτης πρυτανείας, ἀλλὰ μιᾶς ἡμέρας.

Wentzelius et in quibus μὴ particula a cogitatione removet universam sententiam ὅτι rel ὅπως particulis institutam; et aliis quibusdam locutionibus manifestum fit, in quibus μὴ particula cum accusativo nominis alicujus conjuncta invenitur, velut apud Soph. in Ant. 577 μὴ τριβὰς ἔτ', ἀλλά νιν κομίζετ' εἴσω. Phil. 761 Νεο. βούλει λάβωμαι δῆτα καὶ θίγω τί σου; Φιλ. μὴ δῆτα τοῦτό γ'. El. 369 μηδὲν πρὸς ὀργήν. Arist. Ach. 326 ἀλλὰ μή μοι πρόφασιν. Vesp. 1179 μή μοί γε μύθους — in quibus μὴ particula notio ejus substantivi quod huic μὴ adjunctum est, removemus a cogitatione ejus, ad quem facimus verba, nullo certo quodam verbo finito intellegendo.[10]) Quin etiam sola μὴ particula eodem modo usurpatur cogitatione referenda ad ea quae modo dicta sunt, vel ad sententiam quae ex prioribus ipsa profluit, velut in Soph. Ai. v. 74 Ὀδ. τί δρᾷς, Ἀθάνα; μηδαμῶς σφ' ἔξω κάλει. Ἀθ. οὐ σῖγ' ἀνέξει, μηδὲ δειλίαν ἀρεῖ; Ὀδ. μὴ πρὸς θεῶν, ἀλλ' ἔνδον ἀρκείτω μένων, ubi male Schneidew. „μὴ nämlich ἔξω κάλει"; est potius „Um Gottes willen nicht! sondern eqs." Plat. Menex. p. 236 C. (Socr.) ἀλλ' ὅπως μή μοι χαλεπανεῖ ἡ διδάσκαλος, ἂν ἐξενέγκω αὐτῆς τὸν λόγον. (Men.) Μηδαμῶς, ὦ Σ., ἀλλ' εἰπέ, ubi nos „Bewahre, Sokrates, sondern sprich nur". Male vero Engelhart. μὴ τοῦτο δείσῃς intellegit. Alcib. I, 114 E. (Socr.) Ἀποκρίνου μόνον τὰ ἐρωτώμενα. (Alc.) Μή, ἀλλὰ σύ αὐτὸς λέγε. — Ut igitur conferamus abundantis negationis usum in infinitivis et in participiis spectatum, hoc utrique generi dicendi commune est, oblivioni quasi dari negationem praegressam, sed in altero ita, ut sententia quae sane est tollenda negetur proinde ac si non jam sit negata verbo principali, in altero vero ita, ut addatur negatio sententiae quae, si instituta orationis forma obtineret, tollenda omnino non erat; locutionum illarum altera continetur in legibus quibus negationum usus tenetur extra justos fines extendendis, altera paene in laedendis. Haec cum dico,

---

[10]) Cf. Kričala in progr. Pragensi a. 1856 p. 7 sqq.

tantum abest, ut in ea sim opione, tam dilucide me hunc negationis usum explicasse rationemque probasse, ut difficultas jam nulla sit, ut hoc fieri posse omnino vix credam, quoniam res ipsa ἀντίλογος paene est, sicut alia satis multa in figurata quam dicunt oratione. Imo vero satis est, si quomodo iste usus omnino insinuare sese potuerit in dicendi usum intellegimus. Neque dubium mihi est, quin ad hanc locutionem efficiendam analogiae sive similitudinis lex, quae in lingua formanda late patet et in eo posita est, ut latius usus aliquis extendatur, quam pro vi sua et natura possit, multum valuerit: illud μὴ οὐ in infinitivis similibusque locutionibus tam crebro occurrens, cum in formulam abiisset et certa quaedam facta esset constructionis species, cujus origo ratioque propria oblivioni data erat, in participiis etiam locum invenire potuit.

§ 14. Sed ut ad exempla afferenda pergamus, in hac oratione verbum principale semper est negativum, participium vero ex logica ratione οὐ negatione praeditum, ut una μὴ negatio abundanter quod dicunt ob eas quas explicabamus causas adjecta sit.

Atque simplicior quidem est ratio eorum locorum, in quibus participium secundum nostram cogitandi consuetudinem causam indicat. Qualis est locus Soph. in O. R. v. 221 οὐ γὰρ ἂν μάκραν ἴχνευον αὐτὸς μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον, quem hunc fere in modum Germanice possis vertere „denn auf mich beschränkt würde ich mit dem Nachspüren nicht weit kommen, denn ich müsste ein Erkennungsmittel haben." Hermannus vero quod haec ita reddidit „parum ipse investigando proficerem, nisi aliquid indicii reperirem", hoc vel ideo improbandum est, quod usque ad illud tempus nondum invenerat Oedipus aliquod σύμβολον. Rectius schol. ἐπεὶ οὐκ ἔχω τι σημεῖον. αὐτός quod in Pari A et cod. Γ exstat recte a Schneidewino receptum esse puto; sed in ceteris omnibus quae de hoc versu disputavit, accedere non possum viro doctissimo, qui in Philol. V. p. 372 sic haec verba scribenda

esse conjecit: ἦ γὰρ ἂν μάκραν ἴχνευον αὐτὸς, οὐκ ἔχων τι σύμβολον; Nauckius etiam in novissima Sophocl. trag. editione μὴ illud molestum abjecit contra omnium codicum fidem et dicendi usum satis stabilitum, quam artis criticae rationem prorsus improbandam esse censeo; nam ut hoc etiam moneam, et in aperto est unicuique, ejusmodi negationes a librariis (quorum mira profecto „oscitatio" fuisse credenda est, si quales hodie typis exarari solent Sophoclis fabulas adspicis!) per errorem passim omissas, quam temere additas fuisse verisimile esse, neque quomodo hic locus Soph. a ceteris hujus orationis exemplis iisque certissimis differat assequor. Habemus enim prorsus similes locos hosce: Her. 6, 106 εἰνάτῃ δὲ οὐκ ἐξελεύσεσθαι ἔφασαν μὴ οὐ πλήρεος ἐόντος τοῦ κύκλου. 2, 110. 6, 9. — Paullo alia est ratio eorum participiorum, quorum sententia a nexu causali ad conditionalem transit: Plat. Lys. p. 212 D οὐκ ἄρ᾽ ἐστὶ φίλον τῷ φιλοῦντι οὐδὲν μὴ οὐκ ἀντιφιλοῦν. Isocr. Hel. 217 (cap. 21 § 47). Polyb. II, 49 (p. 151 Bekk.) XIII, 1 (p. 765). XVI, 26 (p. 842). — Distinctius etiam conditionalis particip. potestas apparet in his exemplis: Dem. 19, 123 αἵ τε πόλεις πολλαὶ καὶ χαλεπαὶ λαβεῖν αἱ τῶν Φωκέων μὴ οὐ χρόνῳ καὶ πολιορκίᾳ. Diod. Sic. I, 81. Lucian. Tox. 16. — Potest etiam ἂν c. opt. in protasi esse, quod confirmatur locis his: Dem. 58, 13 οὐδ᾽ ἂν εἷς — (βούλοιτο μικρὰ κερδᾶναι) μὴ οὐ συνειδὼς ἑαυτῷ συκοφαντοῦντι. Arist. H. A. IX. 44. Lucian. catapl. c. 23. epist. cron. c. 33. Hermot. c. 49. Philem. op. Stob. XXX, 4.[11])

§ 15. Soph. O. R. v. 12 δυσάλγητος γὰρ ἂν εἴην, τοιάνδε μὴ οὐ κατοικτείρων ἕδραν. Sed ne hic quidem locus Schneidewini suspicionibus immunis evasit, qui in Philol. V. p. 374 οὐ particulam molestam sibi delevit; atque adeo Madvigius in Philol. II. Suppl. p. 55 adn. 47 ex. hoc in loco μὴ οὐ du-

[11]) Praeter hunc Philemonis locum quaecunque ego modo attuli exempla nota fuerunt Wentzelio. His adde, si operae pretium est, duos locos Josephi et nonnullos Eusebii allatos a Gaylero p. 411 et 412.

bium sibi esse professus est. Sed tamen ne hunc quidem hujus constructionis rationem probe perspectam habuisse — si quidem judicium facere licet ex iis quae in hac adnotatione de eo disseruit — jam supra monui. Abest quidem οὐ particula a codd. Par. A. et Aug. B., sed familiae Laurentianae et major fides habenda est, et librarios tale οὐ addidisse vix credibile est. Sane hic locus ceteris quos adhuc proposuimus difficilior est: nam si ad nostram rationem revocare eum vellemus, sic nobis vertendus esset „denn gefühllos würde ich sein, ich müsste denn bemitleiden dieses Flehen". Sed hoc ineptum est, et Wentzel. quod ita hunc sensum extricare studuit, ut verteret „ich möchte wohl überhaupt nicht für Mitgefühl empfänglich sein, ausser als ein κατοικτείρων" vim intulit Sophocleae orationi; nam quicunque non praejudicata opinione ad hunc locum accesserit, universo sententiarum conexu eo haud dubie adducetur, ut haec Latine reddat „namque immisericors essem, *si non* me commoveret tam lugubris supplicatio". At hoc nostrae rationi non convenit. Aut igitur alia explicandi via ingredienda erit (atque patet sane alia), aut credendum Graecos haec duo loquendi genera, id quod Romani in nisi et si non particulis saepius fecerunt, confudisse neque satis accurate alterum ab altero segregasse. Atque hoc sane praestat, quoniam plane similiter si non (non illud nisi) locum habet in his tribus locis: Lucian. tyrann. c. 15 τὸ δὲ δὴ ἄχρι τῶν τυράννων προελθεῖν οὐκ ἂν ὑπῆρξέ μοι μὴ οὐχὶ τῶν περὶ αὐτοὺς φυλάκων καὶ δορυφόρων ἁπάντων κεκρατηκότι. Id. Alex. c. 59 ὃ οὐκ ἂν ποιῆσαι ἐδύνατο μὴ οὐχὶ τῆς φενάκης ἀφῃρημένης. Diod. Sic. I, 69 ταῦτα γὰρ οὐκ ἄν ποτε γενέσθαι μὴ οὐ τῶν ἀνθρώπων χρωμένων κρατίστοις ἔθεσι καὶ νόμοις. Quibus exemplis qui persuaderi sibi non patietur, ei alia explicatio investiganda erit; quoniamque poenitet jam me aliam istam explicationem, quam ipse praesto esse modo dicebam, ne verbo quidem monstrasse, supplere hoc neglegentiae damnum concessum sit. Oedipus utique cum modo dixerit ὡς θέλοντος ἂν ἐμοῦ

προσαρκεῖν πᾶν, orationemque institutam persequatur his verbis δυσάλγητος γὰρ ἂν εἴην τοιάνδε μὴ οὐ κατοικτείρων ἕδραν — sic quoque haec intellegi posse puto, ut conditionalis sententia, quo referendum sit illud „immisericors enim essem", si rationem grammaticam spectes, omissa sit, latens videlicet in iis quae antecesserunt „ὡς θέλοντος ἂν ἐμοῦ προσαρκεῖν πᾶν". Unde haec efficitur sententia „quod ni vellem (sc. opitulari vobis), immisericors sane essem"; verba autem τοιάνδε μὴ οὐ κατοικτείρων ἕδραν jam eandem in rationem accipienda erunt, quam p. 32 sqq. explicare conabamur, ut consequentiam indicent actionis illius non-dolendi, eandemque fere vim habeant, ac si dixerit poëta δυσάλγητος ἂν εἴην, ὥστε μὴ οὐ κατοικτείρειν. — Sed utut res sese habet, illud μὴ οὐ non impugnandum esse arbitror.

Atque hoc quidem in loco temperare mihi non possum, quin uno saltem exemplo Sanderi explicationem in „Beiträge zur Erklärung des Soph. u. Eurip." Hildesheim 1837 p. 2 sq. allatam illustrem. Is nostrum locum sic interpungendo distinxit: δυσάλγητος γὰρ ἂν εἴην; τοιάνδε μὴ οὐ κατοικτείρων ἕδραν; quod sic in vernaculam linguam vertit: „Werde ich denn gefühllos sein? Ich werde doch nicht ohne Mitleid sein?" Eadem lepida ratione insultavit Herod. locum l. I, 110 quem sic scribit: οὔκων δίκαιον εἶναι ἑστάναι ἔμπροσθεν τῶν ἐκείνου ἀναθημάτων· μὴ, οὐκ ὑπερβαλλόμενον τοῖσι ἔργοισι; vertens simul „Darius ist nicht berechtigt seine Bildsäule vor die Denkmäler des Sesostris aufzustellen; er ist doch nicht dazu berechtigt, da er etc.?" Hoc est profecto ense nodum percutere, non solvere; atque quod vel ex his duobus exemplis apparet, ne sibi constitit quidem in certa quadam explicandi ratione. — Nec felicior fuit Wexius, qui sic Soph. locum explicat: „alienus enim essem ab humanitatis sensu, posito (hoc nimirum valere vult μὴ abjecta negandi vi, remanente una cogitationis significatione) me non (οὐ) miserisordia hujus concionis tangi."


VITA.

Carolus Fridericus Julius Koppin Neostadiensis-Eberswaldensis natus sum pridie Non. Mai. a. MDCCCXLI patre optimo Carolo Koppin geometra, matre Julia e gente Hannemannia, quam praematura morte mihi ereptam esse etiamnunc admodum doleo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis imbutus in schola patria rectore Schmidt, viro optime de me merito, inde ab anno MDCCCLV artibus liberalibus institutus sum in gymnasio regio Joachimico, quod tum florebat Meinecke, mox Kiessling rectoribus, praeceptoribus maxime usus Kiessling, Conrad, Seyffert, Rassow, Kirchhoff, viris summe venerandis quorum disciplinae omnia mea me debere pio animo profiteor. Maturitatis testimonio instructus medio anno MDCCCLX civibus almae universitatis Berolinensis adscriptus sum studiis philologicis operam daturus, ibique scholis interfui per quadriennium VV. DD. Boeckh, Haupt, Mommsen, Muellenhoff, Steinthal, Trendelenburg; seminarii philologici Boeckh et Haupt moderantibus sodalis fui ordinalis per duo semestria.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias et nunc ago quam maximas et semper me habiturum esse profiteor.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Non est certum quotquot exstent codices Sophocl. eorum communem atque unicum fontem esse cod. Laur. A.
2. Platonis ethica non tam similis christianismo, quam a quibusdam esse perhibetur, re vera est.
3. Ulrichius quae in libro qui inscribitur „Ueb. d. sittl. u. relig. Bedeut. d. Antig.“ Hamb. 53. p. 60 sqq. de negationibus commentus est, ea prorsus abhorrent a Graecae linguae indole legibusque.
4. Neque Buttmann. in Dem. Midian. Exc. XI p. 144, neque Hermann. in adn. ad Vig. p. 799 de (οὐ) μᾶλλον ἢ οὐ formula recte judicarunt.
5. Corruptos non esse censeo locos hos:
   Soph. O. C. v. 9. ἀλλ᾽, ὦ τέκνον, θάκοισιν εἴ τινα βλέπεις eqs.
   v. 658. πολλαὶ δ' ἀπειλαὶ πολλὰ δὴ μάτην ἔπη.
   θυμῷ κατηπείλησαν, ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν eqs.
   v. 816. ἦ μὴν σὺ κἄνευ τῶνδε λυπηθεὶς ἔσει.
   Eur. fr. no. 362 v. 44. οὐκ ἔσθ' ἑκούσης τῆς ἐμῆς ψυχῆς ἄτερ eqs.
   Thuc. 5, 8. ἄνευ μὴ ἀπὸ τοῦ ὄντος καταφρονήσεως.
6. Emendationes propono hasce:
   O. C. v. 1118. καὶ σοί γε τοὔργον τοὐμὸν ΟΥ ΜΗ ἔσται βραχύ.
   v. 1231. τίς πλάγχθη πολύμοχθος ἔξω, τίς οὐ καμάτΟΙΣ ἔνι;
   v. 1454. ὁρᾷ, ὁρᾷ ταῦτ' ἀεὶ χρόνος ἐΦεὶΣ μὲν ἕτερα.


3 0112 126252292